999

REFVTATIO

DOGMATIS

DE FICTITIA CARNIS

Christi omnipræsentia, & reali idiomatum in ipsis naturis communicatione, ex Verbo Dei, & perpetuo Ecclesiæ aduersus Nestorium & Eutychetem consensu.

AVCTORE CHRISTIANO HESSIANDRO.

CVM THEODORI BEZÆ

Vezelii præfatione, in qua paucis de eodem argumento disseritur.

Recto titulo me tenet Casparus Achenbachius Casphensis Witgenst: ao 1648. 21 Junij

APVD IOANNEM CRISPINVM

[redacted]

M. D. LXXI.

[redacted]

[redacted]

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI,

ac Domino D. Gulielmo, Lantgrauio Heſsiæ, Cattorum Principi, &c. Salutem & Gratiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto.

***

ITA quidem conuenerat, auſpiciis tuis, Illuſtriſſimè Princeps, vt infelix illa controuerſia, cui dirimendæ iam pridem conſcientia potiùs quàm ſcientia opus eſt, ſilentio ſaltem ipſóque adeò temporis ſpatio ſopiretur. Sed quando id iſti pati non poſſunt qui ne ipſos quidem iam ferunt: nec adhuc repertus eſt inter Principes & Magiſtratus qui hanc zeli prætextu graſſantem audaciam, ſicuti par eſt, coerceat, cogit nos ipſa tandem neceſſitas tum apud Celſitud. tuam, cuius illi præcipuè auctoritatem & egregiam ac planè hæreditariam in pacandis Eccleſiis voluntatem tot modis ſunt aſpernati, de tantis iniuriis queri, tum etiam veritatem ipſam in primis aſſerere. Neque tamen id facere conſtituimus vt vel Illyricus ille meus plagiarius & Germaniæ totius ἀλάστωρ: vel vt ſenex ille Vbiquitatis auctor, qui in ipſa etiam morte claſſicum cecinit, & cuius egregium teſtamentum tanti fecit ab hinc aliquot menſes quidam abbas, vt ſuis etiam commentariis, id eſt conuiciis, qualia ab iſtiuſmodi zelo proficiſci poſſunt, illuſtraret, vel vt ille quaſi ſepia ad iſtorum errores aſperſo atramento ſuo obſcurandos conductus: vel denique vt iſte non iam Præpoſitus aut Cancellarius, ſed Vbiquitatis apoſtolus, facere conſueuerunt: ſed quàm ſoliditſimè & æquiſſimè fieri poterit, adeò quidem vt neminem cui propoſitum ſit indagandæ veritatis ſtudium noſtris reſponſis offenſum iri ſperem: eos verò quos & ipſorum ſcripta & mores iam pridē clamitāt ex Eccleſiæ diſcordiis, adeóque ex animarum negotiatione quæſtum turpiſſimum facere, ſic patefactum iri confidam, vt neminem latere poſſint niſi qui

vltrò decipi se velit. Nos quidem certè sicut Celsitudinis tuæ iudicio libenter obsequuti silentium nobis indixeramus aduersus istorum conuicia & calumnias alioqui intolerabiles, non aduersus nos propriè seu viuos seu mortuos, (absit enim vt priuatam hic causam agamus, qui vel mille mortibus velimus Ecclesiæ pacem, (testis est nobis Deus) redimere:) sed aduersus puram & sanam quam profitemur doctrinam contortas: ita etiam ne nunc quidem doctorum & piorum hominum cœtus & legitima iudicia refugimus: atque adeò testamur coram Deo & Angelis ipsius, nos inuitissimos ad hæc certamina rursum protrahi, illorum videlicet intemperie coactos qui quasi vererentur ne alendo veteri incendio non satis superesset olei, quid non mouent vt omnia etiam optimè constituta euertant? Nec enim est quòd arbitreris, Illustrissime Princeps, de illa cõmunicatione corporis Christi nunc quæri, quã nos orthodoxè explicatam minimè inficiamur, sed longè alia moueri ab istis factiosis cœperunt. An sit etiam diabolus nouæ substantiæ creator disceptat Illyricus, veritus scilicet ne hominis lapsum extenuemus. Idem de definitione Legis & Euangelii, de iustificatione, de pœnitentia, de veteris & noui Testamenti discriminibus sic disceptat, vt verè sit Ismael ille cuius manus aduersus omnes, & aduersus quem vicissim omnium sunt manus. Aliis intolerabilis hæreticus habetur qui nouam vitam cum remissione peccatorum necessariò cohærere dicat. De animæ ipsius origine & essentia, quæ iam & voce & scriptis quorundam affirmentur, pudet commemorare. Quid plura? Samosatenianos, Tritheitas, Monarchicos, Catabaptistas, Seruetistas illos in Transsyluania publicè regnantes non attingo, quos adhuc communi consensu oppugnamus.

At quis fieri potuisse credidisset vt quisquam Christianus cum Nestorio diuideret naturas in Christo, & earum idiomata cum Eutychete confunderet? & tamen hoc esse dogma quod Brentius in Ecclesiam post D. Philippi mortem inuexit, Iacobus Andræas pertinacissimè adhuc defendit, quod nunc alii quidam emollire, & fuco quodam obducere, obtenso vnico θεανθρώπου nomine studeant, nescio an quisquam possit ambigere qui Brentii librum & Andreæ theses legerit. De his igitur seriò vobis cogitandum est, illustrissimi

Germaniæ

Germaniæ Principes, ne fortè à quibus eſt noſtris temporibus Euangelii lux exorta, ab iiſdem etiam tenebræ multò quàm antehac denſiores exortæ meritò dicantur, vt conuerſo naturæ ordine, Oriens & Occidens in eadem orbis Chriſtiani plaga collocetur. Quantoperè verò iſtam pauculorum quorundam hominum audaciam quos turba quædam imperita aſſectatur, putatis bonis & verè piis plurimis hominibus, quibus adhuc hodie per Dei gratiam abundat Germania, diſplicere? Et quantum hoc eſt Germaniæ dedecus, vt cuiuis, modò Auguſtanæ confeſſionis, & D. Lutheri nomen iure vel iniuria præfetur, quiduis de quouis ſcriptitare, & quaſi à Spiritu ſancto dictatum pronuntiare liceat? Omitto quæ vix fieri poteſt quin facilè animaduertatis, quouſq; videlicet paucorũ quorũdam doctorũ ambitio, faſtus, auaritia iam prouecta ſit, vt quæ in Papiſtica Eccleſia meritò reprehendimus, ea ipſa iam profectò in veſtras aulas, & academias nonnullas irruperint, breui etiam & vos, & modeſtos ac verè pios ac eruditos paſtores & doctores, vt olim ipſos Cæſares, & Imperatores, niſi tempeſtiuè caueritis inter ſe commiſſura. Sed quum videam me longius prouectum, ad id quod propriè nunc mihi propoſitum erat reuertor. Edo nũc libellum in quo præcipua iſtius Vbiquitiſmi argumẽta, cuius à Brentio ſemel accepti defenſorem ſeſe Iacobus Andræas nunc quoque profitetur, & ex Dei verbo & ex veteribus Patribus, & ex Scholaſticis ipſis, ita, ſi non eloquenter, at certè ſolidè & fortiter (meo quidem iudicio) euertuntur, vt vix quenquam non contentioſum fore ſperem qui falſitatem illius planè deteſtandi erroris non facilè animaduertat.

Sequentur tamen & alia, quæ omnibus veritatis amantibus, Deo fauente, ſatisfacient, ſi fortè in manifeſtiſſimis erroribus iſte cum ſua factione perrexerit, quòd vix futurum arbitror, nedum vt inueniat qui tam procul aberrantem diutius aſſectẽtur. Iſta igitur in aliud tempus differamus, quum hæc quoque à nobis extorſerit neceſſitas. Nunc pauca tantùm placet commemorare, ex quibus cuiuſmodi ſit iſtud Brentianæ Vbiquitatis dogma, quàm planiſſimè appareat.

Pag. Apologiæ aduerſus Ingolſtadianos 35. Andreas poſtquam irriſit quod illi bene & verè dixerant, nempe eadem eſſe, diuinitatem corporaliter habitare in Chriſto, & illi hy-

postaticè communicatam aut coniunctam diuinitatem, tandem hæc etiam subiicit, *Hoc*, inquit, *pronuntio de omnibus qui arbitrantur Patres magis perspicuè loquutos esse vocabulis vnionis hypostaticæ, personalis, & subsistentialis excogitatis quàm Spiritum sanctum in ipsis scriptis Propheticis & Apostolicis, quibus hæc dignitas, eminentia & excellentia Christi manifestissimè est explicata.* Hæc ille. Enimuerò quid hoc rei est? Præferēdas esse patrum explicationes scriptis Propheticis quis vnquam contendit? De hoc verò non quæritur, Andrea, sed de hoc tibi tuæque factioni coram Ecclesia Dei respondendum est, an traditas à patribus explicationes & voces, scriptis Propheticis & Apostolicis ad amussim conuenientes aduersus illos à quibus vnio duarum in Christo naturarum fuit oppugnata, vel damnes, vel approbes. Affirmo enim te & quicunque tecum sentiunt nō habendos pro Christianis hominibus, nedū pro doctoribus Ecclesiæ si hac in re ab illis dissentiatis. Et scis, Andrea, quos inter cæteros nominem? non tantùm illa duo lumina Cyrillum & Augustinum quorum sententias insciitissimè peruertis, sed vel in primis Vigilium, quem te cōstat non minus inscienter quàm impudenter millies in tuis prælectionibus, summa cum tua apud omnes bonos ignominia Dormilium per ludibrium vocitasse: & magnum illum Theodoretum aduersus quem ita tuus ille senex insaniit, vt etiam dialogum sese aduersus illum cōparare scriberet, in eo quidem sapiens quòd illum non ediderit. Vis dicam amplius? dico ergo te vel fucū facere quoties agnoscere te dicis duas in Christo hypostaticè vnitas naturas, vel tum à tuo Brentio, tum etiam à temetipso penitus dissidere. Sic enim Brentius in sua recognitione: *Huius dicti, Verbum caro factum est, talis est sententia afferenda quæ efficiat vt hoc dictum nulli hominum præterquam vni & soli Christo Domino competat, vt sit sanè inter Christum & omnes alios discrimen. Hoc autem est tale, quòd Filius Dei sic impleat Filium Mariæ vt communicet cum eo omnem suam potentiam, sapientiam, scientiam, felicitatem & præsentiam. Nisi enim hæc sit sententia, non habebis inter Christum & alios homines discrimen. Hoc comparatione Christi & Petri Apostoli declarabimus. Vterque enim est homo, & in vtroque est Deus. Sed vt hoc melius intelligamus, age, recenseantur quæ habent peculiaria, quæ contrà communia, vt tandem discrimen innotescat. In Christo inhabitat Diuinitas, eáque tota secundum essentiam, potentiam &*

tiam & præsentiam: sed & inhabitat tota in Petro. Vbicunque enim inhabitat Deus, ibi totus est, quippe qui sit simplicissimus nec dividatur in partes, vt alia sit in Petro, alia in Thoma, alia in Bartholomæo: Christus multa edidit miracula: sed edidit etiam Petrus magna & multa miracula. Christus vidit futura: sed & Petrus, Act. 5. & in sua epistola, vidit futura. Christus mortuus & sepultus resurrexit à mortuis & ascendit in cælum: sed & Petrus resurget à mortuis & ascendet in cælum. Et, quod admirabilius est, Petrus iam corpore suo in puluerem redactus resurget tandem à morte, quum Christus nondum putrefactus, sed membris adhuc integris à morte resurrexerit, vt illud in Petro penè mirabilius, quàm hoc in Christo videatur. Dices, Christus à morte resurrexit, sua ipsius virtute, Petrus aliena. Imò sicut Christus excitatus est diuina virtute, ita resurget etiam Petrus diuina virtute, eáq; non absente, sed omnino præsente, nec minus ipsi quàm Christo intimè præsente, eáq; tota præsente, quòd vbicũq; est diuinitas ibi sit tota. Christus ideò fortè tuo iudicio Deus esse dicẽdus videtur, non Petrus, quòd natus sit ex Virgine absque peccato: nec vnquam peccarit. Sed si hac ratione constaret discrimen, tum multo magis Adam esset Deus & Eua Dea, quòd ille creatus sit manibus Dei è pura terra, Eua è costa viri, absque vllo peccato: quod mirabilius certè videtur, quàm quòd Christus conceptus sit è Spiritu sancto in muliere, Virgine quidem, muliere tamen ad generationem apta: quum è contra limus terræ non esset ad generationem aptus. Quid ergo est quod de Christo dicatur, Verbum caro factum est, non autem de Petro, quum Verbum, non minus sua essentia, potentia & præsentia habitet in Petro quàm in homine Christo, nec putandum sit quasi nomine tantùm præcellat Christus Petrum? Quod ergo est discrimen inter Christum & Petrum, vt ille sit & dicatur Deus, & hic nec dicatur nec sit Deus? & quid est quòd de Christo dicitur Verbum caro factum est, non autem de Petro, quũ Verbum seu ὁ λόγος non minus sua essentia, potentia & præsentia habitet in Petro, quàm in homine Christo? nec sentiendum sit quòd homo Christus nihil amplius præ Petro ab inhabitatione Verbi seu τοῦ λόγου præter nudum vocabulum reportet? Reliquum est igitur quòd quum Euangelista dicit de Christo Verbum caro factum est, non sentiat æternum Filium Dei simpliciter habitare in Filio hominis quem ex Maria virgine assumpsit, sed ita in eo habitare vt euehat ipsum vnà secum in diuinam maiestatem, & effundat in eum omnes suas proprietates. Itaque discrimen Christi & Petri non est simpliciter sumendum ab inhabitatione Filii Dei sed à cõmunicatione proprietatium eius. Filius enim Dei etsi sua es-

ſentia implet Petrum ſicut & hominem Chriſtum, non tamen communicat Petro omnes ſuas proprietates, ſed tantùm nonnullas. Viuificat Petrum, conſeruat in vita, dat Petro poteſtatem eiiciendi dæmones, imò etiam excitandi mortuos, interea tamen non facit eum omnipotentem, omniſcientem, omniſapientem, omniiuſtum, & omnipræſentem. Filium verò hominis ornat non aliquibus tantùm, ſed vniuerſis ſuis donis, & communicat ipſi omnes ſuas proprietates. Hæc ille: in quibus quum plurima vt prorſus Neſtoriana reprehenderim, quî fit vt bonus Andreas illa eludere & aſperſo ſepiæ ſuę atramento obſcurare maluerit, quàm ſingula oppoſita refutare? Rurſum igitur hæc illi paucis ſuggeram neceſſe eſt, tãtiſper dum plenius ad ſuam apologiam reſpõſum accipiat, niſi per lecto libello huic adiuncto malit fidẽ libera re, id eſt in veritatis caſtra tranſire. Primùm quòd Filium Mariæ dicit Brentius à Filio Dei impleri, & paſſim inculcat Filiũ Dei aſſumpſiſſe hominem ſiue Filium Mariæ, dico in ipſo quidem excuſari nec poſſe nec debere, vt qui planè oſtẽdat ſeſe vel duas hypoſtaſes in Chriſto cõſtituere cum Neſtorio, vel vnam ex duabus hypoſtaſibus nõ naturis perſonam cum Eutychete cõflare, quum hypoſtaticæ vnionis propriam differentiam non in ipſa τοῦ λόγου cum carne vnione, ſed in reali plenáq; & perfecta idiomatum deitatis in carnem aſſumptã effuſione conſtituit. Nam certè Filius Mariæ, Filius hominis, Homo denique non naturam, ſed hypoſtaſin deſignant. Neſtorianum autem eſt dicere hypoſtaſin humanam à diuina aſſumptã, niſi quis ad Eutychetem deflectens adiiciat, vnam poſtea hypoſtaſin ex duabus fuiſſe conflatam. Et vt Patres interdum ante Neſtorii & Eutychetis hæreſes vſi ſint concretis nominibus pro abſtractis, hoc tamen in iſtis non eſt vllo modo ferendum qui hoc diſcrimen abſtracti & concreti ex profeſſo ſublatum volunt. Præterea quod toties inculcat Filium Dei ſecundũ eſſentiã NON MINVS NEC ALITER habitare in Chriſto quã in Petro, imò etiã, vt alibi loquitur, in quauis creatura, intolerabiliter impium dogma eſſe dico, vt alia abſurdiſsima prætermittam quæ ipſi exciderunt in huius egregiæ collationis deſcriptione. Etſi enim certum eſt Deum totum vbique eſſe, tamen nihil hoc neque ad hypoſtaticam vnionẽ pertinet, in qua vnitur ipſa Deitas cum aſſumpta natura καθ' ὑπόστασιν συνθέτου, ſicut loquitur Damaſcenus: neq; ad inhabitationem Dei in ſanctis, quæ præter-

quàm

quàm quòd est trium personarum cõmunis, quum hypostatica sit τοῦ λόγου propria, tota etiam est ἐνεργητικὴ non autem ipsiusmet τῷ λόγῳ καθ' ὑπόστασιν. Aio igitur, & hac de re tibi, Andrea, totíque tuę factioni Verbum Dei, Patres orthodoxos ad vnum omnes, Scholasticos quoque ipsos iudices fero, totúmque hoc dogma merè Nestorianum in naturarum separatione, Eutychianum in reali idiomatum effusione esse vociferor: & alterum fore necessarium, nempe vt te omnes tandem Orthodoxæ Ecclesiæ veluti canẽ ex templo Dei extrudant, vel hoc tuum insanum & blasphemum dogma quo tu Ecclesias perturbare nõ desinis, palàm execreris & damnes. Age enim vt quantopere magistri tui errores etiam auxeris omnibus liqueat, an non hæc tua verba sunt?

Sic igitur Thesi tua xx. *Neque imaginanda neque fingenda est alia Dei in Christo quàm in creaturis reliquis omnibus, quo ad ὕπαρξιν, diuinitatis præsentia, quæ vt in creaturis ἐνεργείᾳ discernitur quòd alia in aliis agat & operetur: ita in Christum tota effunditur, vt iam extrà ipsum nihil, sed in hanc & per hominem Christum omnia in omnibus operetur.* Præterea Thesi 23, quum antea dixisses plenitudinem deitatis habitationem σωματικὴν totam esse in reali & perfecta ἐνεργείᾳ quæ in reliquis tãtùm sit ex parte, tandẽ in hæc verba eruũpis, *Hac* SOLA *ἰδιωμάτων κοινωνίᾳ hypostatica vnio definienda est.* Quid amplius? iam recensebo, Andrea, quæ si reuiuisceret ab inferis ipse Nestorius, tamẽ non auderet (opinor) euomere. Vbi enim citasti pag. Apologiæ Ingolstadianæ 25, testimonia deitatis Christi, tandem in has apertissimas blasphemias erumpis. *Hæc sunt testimonia illustria* (inquis) *quæ docẽt cur homo Christus dicatur Deus.* (attẽde lector, quæ sit Christi secundum istos deitas, & quem fucum hominibus faciant quoties libet, quum simulant sese vtramque in Christo naturam profiteri) *non quia Deus sit in ipso* (num igitur vel mendaces Apostoli qui hoc ipsum mysteriũ describẽtes scripserũt, Verbũ caro factũ est, Assumpsit semẽ Abrahę, Deus manifestatus est in carne, Omnis plenitudo Deitatis habitat in Christo σωματικῶς? vel omnia ista sunt ad ἐνέργειαν referenda? Nũ deniq; ἐνέργεια definit hypostasin?) *qui in omnibus creaturis est non modò natura, sed etiam secùndum subsistentias, sicut suprà demonstratum est.* (quæ hæc verò impietas est Deum dicere in omnibus naturis esse secundum subsistentias? Iam certè vel omnia fuerint Deus, si omnia in Deo sunt καθ' ὑπό-

ειναι, vt loquũtur Scholastici, omnia in Dei natura supposi-
tãtur: vel subsistere in Verbo non est causa cur assumptus ho
mo sit Deus, quod vtrumq; sine insigni blasphemia dici non
potest.) *sed quia in assũptione carnis* (& quęso quæ est hęc assum
ptio carnis, si valet illud quod dixisti, non aliter esse verbi ὑ-
σίαν in Christo quàm in quibuslibet rebus?) *dedit huic homini
omnem potestatem in cælo & in terra, & ornauit eum omni scientia*
(quid igitur fiet D. Luthero disertè scribenti imperitorum
esse omnipotentem hominem ex Christo facere, parùm pru
denter duas naturas & earum opera permiscendo? Fatemur
tamen certè assumptum hominem esse omnipotentem, sed
ratione suæ in Verbo subsistentiæ, non ex aliquo in carnem
effuso habitu, siue quatenus verè ac reipsa Deus est, non au-
tem quatenus diuinus) *communicauit ei omnia dona Spiritus san
cti* (quis hoc neget? sed seruato nõ tantùm naturarum verum
etiam ἰδιωμάτων incommunicabilium discrimine) *collocauit
eum super omnem principatum, dedit ei nomen super omne nomen,
quod nomen est Dei nomen.* vere hoc quidem Andreas, at non
satis rectè. Ideo enim adoratur totus Christus quia vnus est
Deus & homo: non potest autem Deus ea ratione dici nec a-
dorari quam iste profert, sed tantùm vt diuinus supra re-
liquas res creatas eminet, qua etiam ratione Christus ab
Augustino & Ambrosio dicitur seipso maior & seipso minor.
Et hoc est hominem quoque esse Deum, (imò Andræa, hoc planè
est Nestorium quidem in separatione naturarum, Eutyche-
tem verò in reali proprietatum communicatione ab inferis
reuocare) *Nam de æterna diuinitate Filij qua in se est, hic nihil di-
sputamus qui secundũ diuinã naturã est ab æterno cum Patre æter-
nus Deus laudãdus in secula.* (duplex hîc rursum error pudẽdus
admittitur. Cuius enim diuinitatis ratione Christus verè est
& dicitur Deus, nisi ea ipsa de qua hic agi negat Andreas,
Deum hominẽ in diuinum hominẽ cum Nestorio simul &
Eutychete trãsformans? Deinde quũ homo assumptus dici-
tur esse Deus, nõ dicitur hoc absolutè de deitate quatenus v-
na est tribus personis cõmunis, sed de Verbi hypostasi: quod
quũ adeò nõ ignoret Andreas, vt alibi & quidẽ disertè hoc i-
psum profiteatur, quis iam illum secũ cõciliabit?) *Sed de homi
ne nobis sermo est.* (quasi verò hic homo alius sit quam ὁ λόγος.
Sed hoc istis perpetuum est, concreta pro abstractis, & na-
turas pro persona vsurpare, quos saltem oportuerat ingenua
illa D.

illa D. Lutheri ipsius cõfessione expergefieri, sese vltrò agnoscentis vnà cum iis quos secum in hunc errorem abripuit, *Persæpe* (hæc enim eius verba sunt) *errasse naturæ tribuẽdo quod competit personæ & contrà, quod*, inquit, *pauci percipiunt, & quod debemus humanis cõmentis quibus ætatem nostram attriuimus, & ingenium corrupimus*) *cur hic solus Iesus Nazarenus verè dicatur Deus, quod verè de nullo Angelorum aut hominum dici potest, in quibus tamen est Deus & hypostasis filij Dei.* (sed duntaxat ἐνεργητικῶς non καθ' ὑπόστασιν. Itaque neque ἐνέργεια neque vlla etiã reali κοινωνία ἰδιωμάτων assumptus hic homo fuerit Deus, vel à quoquam inuocãdus, vt planè incredibilem quandam stuporem arguat quod postea subiicis, nempe nisi quis fateatur hanc demum esse diuinitatẽ hominis Christi, non illam ἀποδοθεῖσαν, inquam, sed sessionis ad dexteram Dei donum, consequi aut Christum secundum humanitatem non esse adorandum, aut si adoretur manifestam idololatriam committi. *Obsecro* enim vt quàm diuinissimum statuas hunc hominem, an est tamen adorandus, nisi sit natura Deus? Atqui communicata, vt tu quidem vis, deitas, non Deum sed diuinam duntaxat naturam fecerit. En igitur cuiusmodi Deus sit Christus, si istis creditur. Fateor tamen Andræam postea à me siue à sua conscientia commonefactum commodius loqui & scribere cepisse, quod etiam placet ex ipsius verbis cognoscere. Dixerat disertè Brentius, HOC VNO differre *Dei in* Petro præsentiã à Dei in homine assumpto præsentia, quòd diuinitas in Petrum aliqua tantùm, in hunc hominem verò omnia sua dona effundat. Scripserat idem illud Andreas, & quidem multò agrestius, vt modò ostendimus, imò etiam his verbis vtens quæ in eadem Apologia reperiuntur pag. 37. *Discernimus*, inquit, *inter eam inhabitationẽ qua Deus in sanctis habitat, & qua in Christo habitat homine: & dicimus HOC VNVM esse ratione tum habitationis discrimen, quòd sanctis distribuat sua dona dimensa, Christo autem homini sine mensura, id est immensa: sanctis dederit singulis suam potestatem, Christo autem homini, omnem potestatem.* Hinc collegeram, necessariò effici Christum quamuis diuiniorem Petro, non tamen Deum magis quàm Petrum: ac proinde diuinitatem vnam ab altera secundum plus & minus duntaxat differre. Quis enim hoc non videt necessariò sequi? Ipse verò quid respondet pag. piæ suæ expositionis 34? *Christus homo*, inquit, *resuscitauit mor-*

tuos. Petrus quoque mortuos resuscitasse dicitur. Deus fuit in Christo, Deus etiam fuit in Petro. Quid est discrimen in simili, vt apparet, opere? Hoc discrimen est quòd Petrus non resuscitauerit sua virtute, sed Christus. Rectè profectò: sed quid Brētius hāc ipsam cōparationē tractans? *Dices*, inquit, *Christus resurrexit à morte, sua ipsius virtute, Petrus aliena. Imò sicut Christus excitatus est diuina virtute, ita resurget etiam Petrus diuina virtute, eaq; nō absente sed omnino præsente: nec* MINVS *ipsi quàm Christo intimè præsente.* Et rursum, *Verbū nō minus sua essentia, potētia, & præsentia habitat in Petro quā in homine Christo.* Quid rursum Andreas cōtra illa Brētiana, atq; adeò cōtra seipsum? *Credimus & docemus in Christo veram & essentialem diuinitatē humanitati cōmunicatam personaliter, sicut animā corpori naturaliter.* Rectè omnino, siquidē istud personaliter ad eam naturarū vnionē quarū fit ὑφιστάμενον, non autē ad nudā ἐνέργειαν referret. Quod si ita est, nempe fœdè erasse Brentium & seipsum fateatur oportet, quum Petri & Christi discrimen non in eo ponerent quòd ille quidem sit accidentaliter diuinus, hic verò essentialiter Deus, sed hoc vnum esse dicerent quòd illi dimensa, huic verò immensa dona distribuantur. Et tamen clamitat Andreas mera hæc esse Bezæ commenta & meras calumnias, quas illi falsò impingam, quoties dico accidentarium Deū ab eo constitui. *Nam*, inquit, pag. 51. *non simpliciter dixi per accidens sed quasi per accidens.* Ergo, vt video, vnica vocula Bezam damnabit, Andream absoluet. Sed mirum est ipsum veluti sui oblitum, eiusdem libri pag. 13. illam voculam, nimirū ipsa vi veritatis adactum prætermisisse. Nam certè vt in omnes formas Andreas se conuertat, nunquam hæc vltima sua cum suis primis vel cum Brentianis conciliabit: nunquam probabit effusione donorū siue aliquorum siue omnium esse aliud quàm merè accidens: nunquam ostendet omniscientiam, omnipræsentiam aliud esse quàm habitus si realiter in carnem effundantur: nunquam denique toto genere differre demonstrabit quæ sola quantitate mensuræ differunt. Quid si verò ne sic quidem scribens de essentiali diuinitate, bene sentire deprehendatur? Obsecro enim quæ hæc est essentialis deitatis cum humanitate vnitionis explicatio? *quòd*, inquit, *naturam humanam ita sibi propriam faciat vt per eam & cum ipsa agat omnia.* Atqui dari hoc etiam absque eo potest vt vnum ὑφιστάμενον cōstituatur ex sola θεότητος Nestoria si perpetua

petua & indissolubilis ponatur. Itaque totum hoc quoque ineptè dictum est, quũ hęc sit vnionis hypostaticę descriptio qua fit vt aliqua, salvis naturis & essentialibus earum proprietatibus sic coeant vt inde vna quædam composita hypostasis existat. Deinde quod rectè aduersus Nestoriũ definitũ est, vnam videlicet naturã cum alterius cõmunicatione agere, quo tandẽ iure isti didicerunt eò vsque trahere, ac si nihil deitas nisi per assumptam carnem ageret? Aliud enim est nihil solam, nihil separatim, nihil nisi cum illa agere (quod nemo nostrũ neque inficiatus est,) quàm omnia per illã agere, quod postremũ quomodocunq; isti accipiant, viderint quibus tandem rationibus vel authoritatibus cõfirment. Est enim profecto sua cuiq; naturæ ἐνέργεια, eáque non semper ad vnicũ ἀποτέλεσμα contendens. Nec inde consequitur quod Andreas somniat, sic videlicet discerpi naturas, quasi qui naturas singulas & earum idiomata & actiones distinguit, idem etiam separet, id est quasi quisquis Eutychianus non est Nestorianismi sit reus. Verùm quid istis facias vsqueadeò vel rudibus vel malitiosis, vt quid inter distinctionem & separationem, quid inter actiones vtriusque simul naturę, siue personę totius ad vnicum ἀποτέλεσμα nitẽtis, & actiones singularum distinctas intersit, ne nũc quidem vel norint, vel agnoscere sustineant? Hinc error ille crassissimus de reali idiomatũ communicatione nõ in persona (quod ipsum affirmamus) sed in naturis. quo nihil profectò vel magis falsum vel etiam ineptius dici potuisse, vel ex eo intelligere potuerunt quòd ἴδίωμα, simulatque commune euadit, ἴδίωμα esse desinat oportet. Quinam enim fuerit singulorum proprium, quod factum est pluribus cõmune? Itaque realis ista communicatio essentialium proprietatum pro vnione necessariò confusionem ipsarúmque adeò naturarum abolitionem inuehit, sicut aduersus Eutychetem toties fuit definitum. Nec illum sanè quicquam iuuat quod mihi respondit, omnia nimirum esse in Deo essentialia, quorum tamen pretiosissima effecta quibusuis etiam fidelibus tribuantur absque vlla naturarum confusione nedum abolitione, veluti quum dicimur naturæ diuinæ fieri participes. Longè autem aliud esse assumptum hunc hominẽ facere omnipotentem quàm ipsammet omnipotentiam. Hoc, inquam, nihil eum subleuat. Etsi enim in Deo non est accidens, vt qui minimè sit compositus: tamen

nihil impedit quominus in eo pro noſtro captu multa quaſi attributa cõſideremus, quorũ participatione res creatas exornat. At quędã rurſum ita ſunt ei própria, vt ipſius quodammodo diuinæ eſſẽtiæ ſint veluti χαρακτῆρες tã proprii vt nullo prorſus modo res creatæ poſſint illa participare, veluti, à ſeipſo eſſe, ac proinde æternum, & infinitum eſſe, quæ ἰδιώματα ſi in vllam rem creatam effundi poſſent, ſtatim totidẽ dii neceſſariò euaderẽt. Itaque quum Vbique realiter eſſe, neceſſariò cõſequatur infinitatem, vt etiam Omnipotẽtem & Omniſcientẽ eſſe, nõ magis iſta poſſe tribui ipſi naturæ humanæ ſiue per ſe ſiue in ipſa vnitione conſideratæ affirmamus, quàm ipſa humanitas fieri poteſt deitas. Tribui tamẽ hæc omnia, atq; adeò Ipſummet Filium Dei eſſe, homini aſſumpto fateamur neceſſe eſt, at non in natura humana quãtacumq; ὑποφυσικῇ maieſtate nunc coronata, ſed in perſona, quatenus videlicet homo iſte eſt vnum cum Verbo ὑφιστάμενον. Quænã eſt igitur iſtarum hominum ſiue inſcitia ſiue impudentia, qui ſuam illam realem in ipſa natura humana κοινωνίαν ἰδιωμάτων ſummo cum Eccleſiæ Chriſtianæ apud omnes nõ penitus ſtolidos ludibrio, pergunt hac etiam ratione inculcare, quòd alioqui carnem illam aſſumptam vel à deitate ſeparemus cum Neſtorio (quod Andream repetere nihil pudet) vel certè ſalutem noſtram deitati ſeorſim acceptam feramus? Deus meliora. Non ita certè inſanimus. Sed hoc veſtrum, eſt blaſphemũ & impium dogma, quòd videlicet grammaticum, verbale, imaginarium fantaſticum ſit (hi ſunt enim veſtri floſculi) quicquid homini aſſumpto tribuitur, niſi etiam humanitati tribuatur. Etſi enim, tu quidẽ Andrea, quoties libuit (id eſt in ſcriptis tuis poſterioribus in quibus tã ſtudioſè conaris ſic à teipſo diſſentire, vt tamen perpetuò tibi conſtitiſſe videare) aſperſa vocula perſonaliter pulchrè tibi cautum arbitraris: tamen totum id mox reali tua ἰδιωμάτων in ipſa naturę communicatione ſiue ἐνεργείας ſubſtitutione ſubuertis. Tantum abeſt autem vt propterea quicquam carnis gloriæ & dignitati detrahamus, vt contrà non modò illa quæ iſti aſſumpto homini tribuunt, verùm etiam ea ipſa quæ ex ſua illa fictitia omnium donorum communicatione neceſſe eſt excipiant, nempe ipſum etiam Æternum & Immenſum eſſe, imò quicquid & eſſentiæ Dei & τοῦ λόγου proprium eſt, ipſi aſſumpto homini καθ' ὑπόστασιν, id eſt eo ipſo modo quo naturæ vniun-

rę vniuntur, tribuamus. Interim illud rectè fecit Andreas quòd tandem ad se rediens, quum antea magistri sui vestigiis insistens exemplum corporis & animæ ad probandam hypostaticã vnionem non modò silentio præteriret, verumetiam prorsus repudiaret, tandẽ tamen hanc aptissimã esse similitudinẽ professus est pag. eiusdem libri 10, quod tamen quàm dextrè interpretatur, plenius aliâs, fauente Deo, explicabitur. Scripserã ista totidem verbis Brentio respondens, *Dicemus etiam cum Paulo Christum* παθητὸν *fuisse, imò etiam mortuum. Quis hoc audebit vel* τῷ λόγῳ *vel animæ tribuere?* Quid ad hęc Andreas? *Valde*, inquit, *absurdũ est quod affirmat Beza. An enim anima Christi non est passa, quum Christus dicat, Tristis est anima mea vsque ad mortem?* Quasi verò perpessionis speciem non expresserim, mentione mortis facta. At ipse respondeat quînam si valeat illud ipsius argumentum, separari ab humanitate diuinitatem, nisi statuatur realis ἰδιωμάτων deitatis in ipsam humanitatem effusio, quînam, inquam, dicẽdum non sit secerni humanitatem à deitate, nisi etiam inipsam deitatem realiter redundasse dicantur carnis perpessiones: quod si paulò apertius affirmarint, quo tandem pudore se audebit amplius Eutychianum inficiari? *Imò*, inquit, *ex hac vnione nihil acceßit deitati sed humanitati.* Esto. Ergo saltem quoties deitati tribuuntur carnis ἰδιώματα, necesse est agnoscat grammaticam duntaxat quam vocat ἰδιωμάτων communicationem, qua tamen deitatem ab humanitate disiungi ne ipse quidẽ dicere audeat. Atqui etsi personæ authoritas in deitate spectatur (vt quę à carne non sit assumpta, sed carnem assumpserit) tamen mutua est naturarum εἰς ἀλλήλας περιχώρησις, vt loquitur Damascenus: ex quo consequitur qua ratione vera est hæc enuntiatio, Deus est homo, eâdem prorsus veram & istam esse, Homo est Deus.

Eiusmodi est illa impudentissima calumnia quam alibi copiosè refutaui, quòd videlicet Christum hominem negem, quasi non aliter nobis præsentem esse dixerim quàm olim fuerit Abrahamo quum nondum existeret ipsius caro.

Beza, inquit idem Andræas pag. 29, *affirmat maiestatem excellentissimam sessionis carnis Christi ad Dei Patris dextram, certum locum esse, nempe cælos illos summos, & nobis ineffabiles, in quos est recepta.* Ego ne verò ita fuerim insanus vt maiestatem dicam esse locum? Hoc quidem dixi, distinctos esse articulos

quos isti pessimè confundunt ascensionis in cælum, & sessionis ad dexteram Patris, quarum priore mutatio loci vera declaratur, id est discessus è terris ad cœlos illos summos quos per ludibrium solent irridere, posteriore verò illius veræ & in beatos ac nobis inenarrabiles cælorum sedes translatæ carnis summa glorificatio significatur. Addo & illud, glorificatam hanc carnem esse, ac manere in cælis, ibique futuram ad tempora vniuersalis illius instaurationis, ac proinde nusquã alibi nũc esse, nedũ vt sit realiter in terris vt tu cõtendis quãuis καὶ ἄλλο sit etiã assũptus ille homo nobis omnipręsens, ac verè nobis ad vitã æternã tum in verbo tum in sacramentis cõmunicetur. Hanc aũt semper fuisse ac esse Christianæ Ecclesię sententiã, adeò vt ex sessione ad dexteram Patris in cælestibus, illum colligant verè circumscripta natura nunc à nobis peregrinari, sicut nos contrà corpore ab ipso absumus: quæ hæc impudentia est cælum cum dextera & sessionem cum ascensione, adeóque cum ipsa per incarnationem vnione confundere, & omnipræsentiæ carnis futilissimum commentum ex eoipso probare velle, ex quo Patres ad vnum omnes absentiam eius à nobis demonstrent? Quid amplius? vult etiam Andreas serui formam tunc depositã fuisse, quod quo tandem modo cum Patrum scriptis conciliabit, qui eam ipsam serui formã quam in terris Christus assumpserat, cælis intulisse, & in eadem illa reuersurũ toties tam disertis verbis testantur? Neque enim isti vt Andreas formam serui, id est naturam ipsam humanam, cum eius accidentariis infirmitatibus confundere consueuerunt.

Calumnia est hæc quoque valde impudens, quòd fingit Andreas Bezam affirmare ac contẽdere diuinam & humanam naturam constituere vnam essentiam. Cedò verò vbi hoc deprehendet? Nolo enim prætexere Cipriani nomen qui in concione de Baptismo Christi, scribit Verbum & carnem esse vnam essentiam, impropriè vsurpato essentiæ vocabulo pro hypostasi seu persona. At ego essentialiter quidem vnitum τὸ λόγον dixi, id est ipsummet τὸν λόγον, vt illam diuinitatem in vniuersali duntaxat communicatione omnium donorum positam refutarẽ. At tu comminiscaris, Andrea, me essentiæ nomine non id quod vnitur, sed id quod ex vnione resultat, id est pro hypostasi συνθέτῳ tertiam quandam essentiam significare, quę criminatio certè ab insigni vel inscitia vel

tia vel improbitate proficiſcitur, quum diſertis verbis ſcripſerim Chriſtũ non eſſe tertiã aliquam ſubſtantiã ex vtraq; natura conflatã, ſicut in confuſione accidit, ſed tamẽ eſſe quiddam compoſitum ὑποστατὸν, id eſt verè non imaginariè, ex duabus naturis perfectis, non autem ex humana natura & deitatis proprietatibus in eam effuſis, vt tu initiò diſertè cum Brẽtio ruebaris. *Atqui*, inquit Andreas, *Patres ad quorum phraſes me reuocat Beza, hanc vnionem non vocant eſſentialem, ſed perſonalem.* Concedo ſi terminus *ad quem* (vt loquuntur in ſcholis) ſpectetur, at non ſi terminus *ex quo*. Meritò itaque Iuſtinus eos reprehendit qui dicebant carnem in Verbum ὑποστατωθῆναι: at nõ eſt veritus Cyrill. ἑνότητα φυσικὴν καὶ κατ' οὐσίαν vocare, quæ poſtea Theodoreto reſpondens commodè, id eſt ita vt nunc facio, explicauit. Imò age reſpondeat pro me Damaſcenus, ſic ſcribens lib. 3, cap. 3, ὑποστάσει γὰρ φαμὲν εἶναι ἕνωσιν, τοῦτεστιν ἀληθῆ καὶ οὐ φαντασίαν. ὑποστάσει δ' οὐχ' ὡς τῶν δύο φύσεων ἀποτελεσάσαν μίαν συνθετον φύσιν, ἀλλ' ἑνωθεισῶν ἀλλήλαις καθ' ἀληθείαν εἰς μίαν ὑπόστασιν συνθετον τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. Id eſt, Eſſentialem enim dicimus vnionem, id eſt veram & non imaginariam: eſſentialem verò non quaſi duæ naturæ vnicã compoſitam naturam effecerint, ſed quòd inter ſe verè vnitæ ſint in vnicã Filii Dei hypoſtaſin compoſitam. Quid quòd Damaſcenus non tantùm illam χύσιν ſiue καθ' ἕξιν καὶ ὁμοπιμίαν, ſed etiam συνάφειαν damnat? eam videlicet quam ponebat Neſtorius, & tu ſanè, Andrea, à Brẽtio acceptã defendis, quũ illam ex ſola ἐνεργείᾳ & donorum effuſione ſic definis confidenter, vt aliter etiam explicari non poſſe perperam omnino contendas.

Denique vt nihil intentatum relinqueret Andreas, miratur me à meo præceptore (quẽ & ipſe nunc ingratus diſcipulus præceptorem olim honorificè & meritò quidem appellabat) Caluino videlicet diſſentire. Quid igitur Caluinus? ait dexteræ Dei nomine locum non ſignificari, ſed poteſtatem quam Pater Chriſto contulerit, vt eius nomine imperiũ cælum & terram adminiſtret. Adiicit etiam Caluinus ex ſeſſione ad dexteram Dei non rectè concludi Chriſtum non niſi in cælo eſſe. Sed cur veteratoriè præterit Andreas quod ſubiicit Caluinus, reuera videlicet Chriſtum ſecundum carnem alibi nũc nõ eſſe quàm in cælis, quãuis ſola ſeſſio ad dexterã Patris non rectè ad hoc probandum adhibeatur? Vt autem de re ipſa dicam aliquid (eſt enim copioſè & ſolidè hoc argu-

mentum in hoc libello quem nunc edo explicatum) pertinet illa reprehensio ad eos qui quod de dextera Dei ab iis scriptum est qui Christi carnem sic sedere ad Dei dexterã verè & rectè docuerunt, vt tamen nõ alibi sit quàm in cælis (quod & ipse Caluinus expressit) perinde accipiunt ac si ipsum dextræ nomen per se locum aliquem designaret, & validissimum argumentum quod à sessione & ab ascensione in cælis coniunctim sumitur, sic accipiunt ac si nuda & seorsim cõsiderata sessione siue glorificatione carnis niteretur. Vt autẽ verũ sit quod Andreas ad marginẽ adscripsit pag. 78, nẽpe dexterã Dei neque locũ, neque in loco esse, an tamen efficietur eum in loco non esse qui ad dexteram Dei sedeat, id est qui omnẽ potestatẽ in cælo & terra acceperit? quæ omnia quum sint à D. Bullingero nostro copiosissimè demonstrata, causa nulla est cur de hac λογομαχία & futili calumnia refellenda amplius laborem. Ad aliud propero quod sic ille exagitat vt etiam in me regerat quod ipsi obieceram. Inserit enim ad marginem bellum istud emblema pagina 80. & 81. *Christus (ex sententia Bezæ) sessione ad dexteram Dei differt à sanctis secundum plus & minus: quod*, inquit, *quid aliud est quàm dicere, omnes sanctos fore Christum? Nam hæc maiestas solius est Christi, nullius neque Angeli, neque alterius: solius, inquam, Christi in propria humanitate assumpta, nulli creaturæ secundum magis aut minus communicabilis qua Christus non comparatè, sed toto genere ab omnibus sanctis differt.* Euge verò quòd tandem veritatem extorsit cõtentionis feruor. Nam si hoc postremũ verum est, sicut iam pridem aduersum te, Andrea, tuúmque magistrum contendo, vbi vestrum illud vnicum discrimen inter dona immensa & diuersa, inter aliqua & omnia? vbi tua illa vox, hunc hominẽ Iesum Nazarenum dici Deum, non quòd sit Deus in ipso (vt qui sit etiam secundum subsistentias in omnibus creaturis) sed quòd omnia ei communicauerit Spiritus sancti dona? quomodo deniq; stabit illa tua hypostaticæ vnionis definitio quam ab vnica energia necessario sumendam esse adeò confidenter, sed ineptissimè profectò, pronuntias? An enim negabis Deum in sanctis ἐνεργεῖν. Atqui omnia & aliqua tãtùm agere, necesse est fatearis secundũ plus & minus differre. Vides igitur, Andrea, te eò redactum esse vt verum iam dicere non possis, quin priora tua scripta condẽmnes? & sanè iam pridem id facere te potius oportuit, quàm per Ecclesias omnes

mnes curſitare vt aliquos erroris ſocios inuenires. Sed ad rẽ: Prorſus à te in eo quoque diſſentio, quòd vnionem naturarũ & ſeſſionem ad dexteram Patris imperitiſſimè prorſus permiſces, quum per illam quidem ſit aſſumptus ille homo verè in ea natura in qua ſubſiſtentiam accepit, factus Deus: per hanc verò in ſeſe diuiniſſimus redditus, adeóque in eum gloriæ gradũ euectus, vt, eo vno excepto qui ſubiecit ipſi omnia & qui cum vnus eſt Deus quatenus Deus eſt, ſupra omnia ſine exceptione emineat. Itaque quod ad vnionis gratiã attinet, homo iſte toto genere à quibuſvis etiam angelis differt, vt qui ſit natura Deus. Quod ad exaltationem autem attinet, quãuis immenſè emineat, tamẽ cõparatè ab iis differt & differet ſecundũ gloriã, quibus ſimilis eſt ſecundũ naturam. An nõ enim omnes de plenitudine ipſius accepimus? imò an nõ ipſa etiam corpora noſtra teſtatur fore claritati ipſius, pro noſtro videlicet modulo conformanda? Quod ſi reſpondeas nõ gloriam, ſed excellentiam gloriæ, nomine ſeſsionis ad dextram ſignificari, ac proinde vni Chriſto conuenire, aſſentiar proprio quodam & incõmunicabili modo illam Chriſti eſſe: quò reſpexit Apoſtolus, quum ex hac ſeſsione excellentiam Chriſti ſuprà ipſos Angelos tantam eſſe colligeret, vt etiam natura Deum eſſe inde demonſtraret, quòd alioqui purus homo eò vſq; nũquam eſſet euectus. Verùm ſi in vltimo illo iudicio à dextris Chriſti erũt ſancti, & ipſe Chriſtus ad dextram Patris eſt collocatus (quæ omnia, teipſo iudice, de beatitate accipienda ſunt) nulla certè cauſa fuit cur tam clamoſè ad omnium piorum iudicia aduerſus Bezam prouocares. At tu potius ridiculus es, & indignus cuius damnandi cauſa vllus iudex ſedeat, quum negas ſanctos quoque ad Dei dextram, quanuis remotius, id eſt ſuo modo ſeſſuros.

Ita verò calumnia cuiuſmodi eſt? Aſſerimus & ex Verbo Dei conuincimus cælorum nomine in quos ipſe Chriſtus aſcendiſſe, & in quibus regnaturi dicimur, non ſignificari, ſicut ſomniauit Brentius, beatitatem ipſam, ſed ſedes ſupra illos aſpectabiles cælos, nunc quidem nobis inenarrabiles in quibus æternùm erimus beati: & ſimul eorum deliria diſertiſſimis verbis damnamus qui extra Dei verbum de illo ſummæ felicitatis domicilio, aut ipſa etiam felicitate garriunt. Quid ad hæc Andreas? eadem illa in nos torquet, quæ nos in iſtorum inanes commentationes dicimus, in illo tamen ge-

ſtatorio cælo Brentiano malens adhuc circumuehi, quàm ve cedere veritati, vel prolatis certiſſimis ex verbo Dei rationibus acquieſcere. Fruatur ergo ſuis delitiis. Sed quorſum interea atrociſsimũ iſtud impietatis anathema in Bezam iaculatur? Sic enim ſcribit ad piæ ſuę expoſitionis marginem pag. 85. *Impia Bezæ ſententia de incarnatione Filij Dei.* Quînam id verò? *Scribit Beza ſemel atque iterum, Filium Dei è cælo locali, quod Dei ſedem ſtatuit, miſſum eſſe in has terras, & in eoſdem cælos eſſe reſumptum. Quis autem hanc carnalem cogitationem, non dico de cælo ſed de ipſo Deo non damnaret? Si Filius Dei ex hoc cælo eſt emiſſus, anteà ergo præſens non fuit, nec Pater quoque. Quod ſi prius adfuit, quomodo è cælo illo locali mitti potuit? Aut igitur aliud ſignificatur miſsione filij è cælo in terram quàm ex loco in locum miſsio, aut Deus terris excluſus inſtar hominis in regia cæleſti eſſe fingitur, & in terris eſſe virtute præſens, quæ tamen non ſit ipſe Deus.* Audio terribile tonitru, ſed quod mox in fuliginem euadet. Dixi, Andrea, quod adhuc dico & tu nunquam conuelles, quum dicitur Filius è cælis miſſus, cælorum nomine certum illum cæleſtem locum intelligi, non autem ſimpliciter gloriam ac maieſtatem diuinam. Sed hoc tu malitioſè & ſceleratè præteris, quod ego diſertis verbis ſcripſi. *Quum*, inquam, *dicitur Deus in cælis habitare, è cælis deſcendere, è cælis Filium miſiſſe, è cælo contemplari, nullus eſt in cælorum nomine tropus.* (& hoc eſt, Andrea, in quo tuus te magiſter fefellit.) *nulla allegoria, ſed in ijs demũ verbis quæ adiunguntur, nempe habitãdi, ſedendi, deſcendendi, & ſimilibus figuratus eſt ſermo. Cur id verò? nempe quoniam iſta diuinæ naturæ non magis propriè quàm manus & pedes tribui poſsunt. Sic autem loquitur Scriptura vt Dei maieſtatem alioquin incomprehenſibilem, huiuſmodi ἀνθρωποπαθείαις nobis inuiſibilem efficiat.* Hæc ego, adiiciens poſtea huiuſmodi verba Veniẽdi, ac Deſcendendi, quamuis per ἀνθρωποπάθειαν, tamen aliter explicanda quũ Filio, quàm quũ Patri tribuuntur, quoniã ad incarnationis myſteriũ pertineãt. En cur nos veluti Antropomorphitas accuſet valde cõmotus Andreas, ſollicitus videlicet de quoquo modo eludendis argumẽtis quæ refellere non poteſt. Quid multa? Brentium refellens qui contra Apoſtoli verba diceret vnionis myſterium idcirco non eſſe ineffabile quòd Deus eſſet in Chriſto, quoniam ſit etiam in omnibus: quęſiui vbi didiciſſet Deum eſſe in quibuſuis, & mox addidi, *Scio quod ſis dicturus de Dei natura quæ ſit vbique & omnia repleat.*

replut.(quis enim hæc ignorat?) sed Deum esse in diabolo, Deum esse in impijs nusquã lego. Quid hîc Andreas noster? primùm ad marginem notat, *Beza non credit Deum esse in impijs.* deinde subiicit postea, *Quid putas (lector Christiane) in huius recessu latitare? Fatetur quidẽ Beza Dei naturã omnia implere, sed interim se non legere affirmat quòd Deus sit in impijs. Quid ergo Apostolus in Actis affirmat, quòd per ipsum viuimus, mouemur, & sumus? Loquitur autem Apostolus de toto humano genere. Et quid Dauid in Psalmo 139, Quo ibo à Spiritu tuo? Certè si in impijs non est Deus, erit igitur locus vbi Deus non sit, siquidem impij locum occupant: sin verò locus non est vbi non sit Deus, in impijs quoque sit Deus necesse est.* Mira certè narras, Andrea, quasi verò quum Dei naturam vel te ipso confitente dixerim omnia implere, Dei essentiam vbique esse non concedam, quamuis ἀμιγῆ. Quomodo enim alioqui infinitus esset? Ergo tu ipse tibi monstra debellanda confingis quæ nusquam sunt. Ergo, inquies, est etiam in impijs. Nego. Nec enim hæc loquendi formula in Scripturis de illa generali præsentia, sed de piis demũ dicitur quibus sic est Deus præsens vt eos quoque sancto suo Spiritu gubernet: ac præterea de vno Christo peculiari ratione vsurpatur, quoniam videlicet Verbum in illa carne habitat σωματικῶς. Iam vides, opinor, quàm ineptè cites duo illa Scripturæ testimonia, quarũm priore non dicitur Deus esse in omnibus, sed omnia in Deo, id est Dei virtute subsistere dicuntur, quod nihil ad rem pertinet, sicut multò quàm tu rectius declarauit Kemnitius pag. 100, posteriore verò fateor vniuersalem illam præsentiam Dei, etiam καθ' ὑπόστασιν declarari, quam minimè inficiari me profiteor. Vides etiam opinor, quàm inscitè tuus magister locum illum Apostoli, *Deus erat in Christo*, ad generalem essentiæ Dei præsentiam accommodarit, quod in ipso reprehendi. Explicat postea suam de reali carnis in pane præsentia sententiam Andreas: quam nunc non attingo, Illustrissime Princeps, vt me nunc quoque fidem, quam irrequieti illi toties fregerũt, præstare omnes intelligãt. Non possum tamen illud præterire quod etiam sibi in me reprehẽdendum putauit Andreas. Dixeram de re sacramenti loquens, Fidem res absentes facere præsentes. Hoc axioma vt falsum redarguit Andreas. *Verbum enim Dei*, inquit, *facit res præsentes, vt vnaquæque res adsit eo modo præsentiæ quo Verbum offert.* Quasi verò quæ sunt subordinata superiorem causam tollant. Sic autem

colligo: Verbum Dei in Sacramento reuocat nos ad carnem Christi non quæ sit in terris, sed quæ est supra cælos. Quod autem est supra cælos, & non nisi in Sacramento offertur, soli intellectui, imò soli fidei conspiciendum offertur. Tolle ergo fidem & rei quantumuis oblatæ præsentiam sustuleris. Aliud enim est offerri, aliud præsentem esse, quum res etiam absentes absentibus offerri, & quidem non minus efficaciter possint quàm si essent præsentissimæ. Res igitur sacramenti (posita mea hypothesi, quòd sit videlicet in cælis non in terris) offertur quidem mihi per verbum, fit autē mihi præsens si fide animam illuc conuertero quò me verbum vocat. Quod autem illuc fide conuersus habeam rem illam fidei meæ præsentem, hoc demum fit ex Verbo rem illam mihi sistente, nedum vt fides deroget Verbi efficaciæ. In rebus autem corporeis & ipso situ præsentibus aliter constituendum est. Siue enim oculos conuerteris siue auerteris, res tamen oblata præsens tibi fuerit. Sed ponamus quàm longissimo interuallo abesse quod tamen cuipiam conspiciendum præbeatur. Id certè nunquam fuerit tibi præsens nisi oculos aduerteris. Itaque ipsa oculi conuersio rem illam alioqui longè disitam tibi præsentem efficiet, quamuis quòd eam illic oculis præsentem habeas ab illius sit voluntate qui illam tibi conspiciendam præbuit. Sed de hoc plus satis, quòd tamen volui paulo plenius explicare, propter Theologum quendam Parisiensem qui præterquàm quòd in Possiaceno concilio nobiscum hac ipsa de re disceptauit, postea etiam edito ineptissimo libello hoc axioma conuellere, vt & Andræas noster, cōtendit. Vnum tamen quiddam præterea libet ex Andrea quærere: Si verum est Verbo præsentem fieri carnem Christi in pane, Verbo, inquam, institutionis Cœnæ Domini, sicut inter nos arbitror conuenire, certè ante institutionem illam non erat præsens in pane. Cur ergo ad illā sessionē recurrit Andreas? Nam illo posito non certè pendebit hæc præsentia ab illa sessione ad dexteram Patris, siue prior, siue posterior Verbo illo institutionis statuatur. Itaque necessariò fateri cogetur Andreas vel perperam à se poni siue vnionem hypostaticam siue sessionem ad dexteram Patris pro istius corporalis in pane præsentiæ fundamento, vel certè verba illa institutionis hoc non efficere, sed duntaxat hoc præstare, vt quod iam ex illa sessione præsens vbique nedum in pane est, in pane tamen

mentis cibus & potus, vt necesse non fuerit Christo dicere, Hoc est corpus meum, quũ id anteà verũ esse satis intelligere rurex hypostatica vnione, sed tantummodo dicendum illi fuerit, Accipite, comedite, & bibite. En quò recidãt oportet qui verbũ Domini ad suum sensum inflectunt. Istæ verò calumniæ cuiusmodi sunt pag. 13? Operatio redemptionis, nõ fuit solius humanitatis sed & diuinitatis. Id ego verò non tantùm dico, sed hoc etiã dico, sicut passio est, humanitatis, ita victoriam esse diuinitatis. Quid verò Andreas? *Per ἀλλοίωσιν*, inquit, *hæc operatio ad humanitatem solam refertur, & non nisi verbotenus diuinitati tribuitur. Itaque eam penitus & prorsus ab hoc mysterio remoueamus.* In his paucis obsecro quàm multa errata? Redemptio est totius personæ ἀποτέλεσμα. Itaque non modo falsum, verum etiam stolidum est quod Andreas colligit, per ἀλλοίωσιν referri ad solam humanitatem, quum in hac enuntiatione, Christus est redemptor, nulla sit prorsus ἀλλοίωσις, Imò ne in ista quidem, Deus nos redemit: sed vnius ἀποτελέσματος & energiæ duæ sint distinctè singulis naturis applicãdæ. Vt autem distinguantur naturarũ singularum operationes, an propterea vel totius personæ non est ἀποτέλεσμα, vel separantur quæ distinguntur? Et tu es magister in Israel, Andrea, & hæc ignoras? Quid amplius? pag. 115. Beza etiam minus tribuit humanitati quàm Nestorius. Cedò quamobrem? quia Beza dicit verbo tenus predicari de Christo homine quæ diuinitatis propria sunt, Nestorius autẽ affirmat hominem Christum esse diuinæ authoritatis cooperatorem. Imò verò. Andrea, dicit Beza sic agere hũc hominẽ vt Deum, quia vnum est ὑφεστάμενον Deus & homo. An autem hoc minus est quàm hominem facere alterius συνέργον? lege quæso si tibi à tuis discursationibus vacat, Cyrilli anathematismos, & cuiusmodi hæc tua sint tandem cognosce. Denique quæ hæc est impudẽtia? assiduè habemus in ore quod verissimum est, hominem trãsformari in Deum, si vbique esse dicatur, quoniam quicquid quantitatem recipit est circumscriptum, & contrà. Et tamen Andream hoc quoque non pudet mihi obiicere, quòd Beza non possit de Deo sine quãtitate cogitare. Et de Andrea quidem hactenus, cui plenissimè tandem aliquando responsurum me spero.

¶ Ad D. Kemnitiũ venio, cuius de duabus naturis libellus, quũ verã & quidẽ luculenter ac vtiliter explicatam de dua-

bus distinctis in Christo naturis & hypostatica vnione doctri nam contineat, &, quamuis non ita expressè vti oportuit, tamen perspicuè satis abolcat istius omnipræsentiæ Brentianæ siue Andreanæ commentum, hoc nomine plurimùm illi homini debere omnes Christianas Ecclesias statuo. Illud enim pag. 106, rectè prorsus statuit: Nestorianũ dogma fuisse *quòd in illo assumpto homine Verbum inhabitarit eo modo quo in sanctis, eo excepto quòd in illum assumptum hominem dona numero plura & gradibus maiora contulerit.* Quid autem Brentius? quid Andreas prioribus illis suis scriptis inculcant? an nõ VNVM, VNVM, inquam, hoc esse habitationis Dei in Petro & Christo discrimen, quòd in Petrum dimensa, in Christum immensa dona effuderit? an non disertè scripsit Andreas vna deitatis ἐνεργείᾳ Deum esse & dici Iesum Nazarenum? Testimonia istorum disertis verbis descripta paulo antè citaui. Itaque etsi Brentio quantum licuit in mea respõsione peperci, quòd vix ac ne vix quidem mihi persuadere possem eousque illum desipuisse: & postea expergefactus Andreas illa nonnihil studuit mitigare: dixi tamen quod res erat, neque me propterea vt calumniatorem redarguere vel Scekius debuit, vel Kemnitius iure potuit. Et tamen si hac saltẽ in parte resipuisset ille cum suis, paratus eram ego hanc etiam iniuriam non tam mihi quàm ministerio meo iniustam dissimulare.

Sed & illud rectè Kemnitius aduersus realem communicationem Brentianam in ipsis naturis, disertè multis locis docet, *Quæ propria sunt diuinæ naturæ & contrà, prædicari de Filio hominis vt persona in concreto, quæ tamen propria sunt & manẽt solius alterius naturæ.* citans etiam appositè illud Damas. lib. 3. cap. 4. *Idiomata diuinitatis non prædicantur de carne, nec vicissim.* Quid fiet igitur Andreæ, disertis verbis testanti Christum vbique esse, non tantùm secũdum diuinitatem, verum etiam secundum carnem? Multò sanè verecundior est Kemnitius, asserẽs tutius esse vt vbicunque vult potius quàm vbique esse Christum dicamus secundum carnem, à quo tamen potius apertè & ingenuè crassam illam & planè Eutychianam omnipræsentiam redargui oportuerat. Cuiusmodi verò illud etiam eiusdem Andreæ dictum fuerit pag. suæ expositionis 112. *Filius hominis*, inquit, *in cælo esse dicitur, & reuera etiam fuit non modò secundum diuinitatem, verùm etiam secundum humanitatem*

quando

quando cum Nicodemo loquitur. Cuiusmodi autem est etiam illud, pag. 116? *Malè ergo Nestorius, sed multò peius & pessimè Beza, qui non nisi verbali communicatione Deum passum & crucifixum affirmat.* Sed hoc nihil mirum est eum dicere qui passionem quoque testetur nescio quo inenarrabili mysterio in ipsam quoque diuinitatem absque vlla ἀλλοιώσει redundasse.

Verùm in ipsa κοινωνίας ἰδιωμάτων descriptione sunt nõ pauca de quibus Kemnitiũ operæpretiũ est attẽtius cogitare. Primùm enim vix opinor, cõperiet ἀποτελέσματα illa quæ officii siue vtriusque simul naturæ ratione Christo tribuuntur, quas actiones θεανδρικὰς vocauit Dionysius (vt est redẽptio, intercessio, cũ cæteris eiusmodi) ac multò etiã minus illã donorũ deitatis in assumptã carnem realem effusionem, nomine κοινωνίας ἰδιωμάτων comprehendi, cuius tamen ipse triplex genus constituit. Ratio autem manifesta est cur in istis non sit communicatio proprietatum, quoniam videlicet in illis quidem verè personalibus effectis distinctæ sunt & manent ipsæ naturarum actiones, solum autem effectum ipsum sicut commune est, communi quoque nomine reipsa personæ tribuitur, quã ob causam non κοινωνία ἰδιωμάτων sed κοινοποίητα vocetur: veluti quum Christus dicitur redemisse Ecclesiam suam. In his verò neque proprietates ipsæ diuinæ neque earum actiones tribuuntur humanæ naturæ, sed dona duntaxat diuinitus effusa ei naturæ meritò tribuuntur in quam sunt collata, vt si Hic homo assũptus, dicatur esse primogenitus inter multos fratres. Itaque spero Kemnitium mihi assensurum nullam esse apud Patres κοινωνίαν ἰδιωμάτων, nisi eam quam primo loco recenset, & quam veteres etiam ἀντίδοσιν, ἀλλοίωσιν, ἐναλλαγὴν ἐδιότητος ὀνομάτων vocarũt, vt ipsemet diligẽter obseruauit. Veruntamẽ ne in istius quidem generis distributione (quod ipse primum vocat, ego vnicum esse statuo) possum illi per omnia assentiri. Constituit enim has illius species,

Primam quando concretum vnius naturæ prædicatur de concreto alterius naturæ, vt Deus est homo. Atqui nec Dei nec hominis nomen est ἰδιώματος, sed οὐσίας σημαντικὸν. Itaque nulla prorsus hic est ἰδιωμάτων κοινωνία, quum ne idioma quidem vllum nominetur.

Secundam, quando proprietas diuinæ naturæ tribuitur diuinæ naturæ, vt Christus Deus creauit omnia.

Tertiam, quando humanæ naturæ proprietas concreto

humanæ naturæ tribuitur, vt Filius hominis crucifigitur. Obsecro verò quænam in hac vel illa specie esse possit κοινωνία ἰδιωμάτων, quum sua cuique proprietas tribuatur, illam verò Chemnicius ipse definierit eam esse qua quod vnius naturæ proprium est, tribuitur personæ in concreto? ab altera videlicet natura denominatæ.

Quartam & quintam, quando diuinæ naturæ proprietas tribuitur concreto humanæ naturæ, vt Filius hominis ascendit vbi erat prius, vel contrà, vt Dominus gloriæ crucifixus est. Et hæc quidem demum rectè Chemnicius.

Sextam, quando quæ vtriusque naturæ propria sunt tribuuntur concreto vel diuinæ naturæ, vt homo Christus mediator Dei & hominum, vel humanæ, vt Deus redemit Ecclesiam. Imò verò nulla hic communicatio proprietatum, sed σημειωδῶς totũ ὑφιστάμενον duntaxat significatur vnius naturæ nomine.

Septimam quando proprietas vtrique naturæ conueniens prædicatur de concreto vtriusque naturæ, vt Christus est Redemptor. Hîc verò nulla prorsus est κοινωνία ἰδιωμάτων sed κοινωνοίνους, quod & ipse Chemnicius fatetur.

Octauam quando concreto vtriusque naturæ tribuitur proprietas vnius naturæ, vel diuinæ, vt Christus est ab æterno, vel humanæ, vt Christus passus est. Imò ne hic quidem est κοινωνία ἰδιωμάτων, sed maximè propria locutio, quamuis secundum alteram tantùm naturam personæ tribuatur, vt si dicam, Homo est intelligens, vel homo est mortalis.

Hæc igitur velim illum attentius considerare, vt & illud quòd in capite de particulis distinguẽtibus pauciſsima profert exempla in quibus vera sit κοινωνία ἰδιωμάτων. In capite verò in quo περὶ κενοποιίας differit, si nos intelligit quum eos reprehendit qui diuinam naturam dicunt siue in opere redemptionis siue in mediatoris officio prorsus fuisse otiosam, nobis certè iniuriam facit: quod tamen quater aut etiam quinquies inculcat, pagina presertim 231. Sed & illud miror in quos tandem totum illud caput torserit in quo de tertio illo commentitio κοινωνίας ἰδιωμάτων genere differit, tam multis id probare contendens de quo neminem vnquam arbitror dubitasse. Quis enim vnquam inficiatus est inenarrabilibus donis & quidem absque mensura assumptam illam carnem, non modò per vnionis gratiam, (quam perperam Chemni-

Chemnicius ad tertiũ iſtud genus applicat pag. 329) verumetiam in ſeipſa eſſe exornatam? quis, inquam, negare vnquã ſurſus eſt omnia, excepto eo qui omnia ipſi ſubiecit, eſſe Chriſto etiam ſecundum carnem ſubiecta? Itaque Chemnicius de re minimè controuerſa multum, vt video, laborauit. Quod enim in ſecunda quæſtione præfatur ſi in nos dictum noluit, iniuriam certè nobis facit. Illud autem, vt ſpero, per ſeipſum facilè animaduerteret, pleráque videlicet ab eo citata tum ex Dei verbo, tum ex patribus, quum ad ipſam naturarum vnionem pertineant, perperam ad illius effecta torqueri, etiam ſi poſtea id excuſare ſtuduerit. Sed iſtud cuiuſmodi tãdem eſt? *Cogitetur*, inquit, *quale ſit argumentum quo Sacramẽtarij & ſe & alios ſeducunt.* (At ipſi potius Chemnicio cogitandum erat, quid, qua de re, & in quos ſcriberet, ne & ſe & nobis indigna ſcripſiſſe deprehenderetur) *Chriſtus ſecundum humanam naturam eſt ſimilis fratribus per omnia excepto peccato* (an verò vel ipſe hoc negabit, vel adeò nos ineptire cenſet Chemnicius vt inter ſimilem & parem diſtinguere neſciamus?) *vel hypoſtatica vnio duarum naturarum in Chriſto facta eſt ſaluis naturæ proprietatibus.* (Hoc ſanè, fateor, fundamentũ ponimus quo Vbiquitas tota ſubuertitur.) *Ergo Eutychianus eſt, tollens & negans veritatem naturæ humanæ in Chriſto, qui aliquid ei, etiã Scriptura tradẽte tribuat.* (Hoc verò duplici ratione calumnioſiſſimè in nos dicitur, quũ Dei gratia plura non poſſint tribui ſacro ipſius Verbo quàm nos tribuamus, & ſanè non niſi ineptè dici poſſit Scripturã quæ illud affirmet quod de ſeruatis proprietatibus ipſemet Chemnicius rectè fatetur, aliquid tradere ſibiipſi repugnans) *quod conditionibus & facultatibus humanæ naturæ per ſe conſideratæ non conuenit, aut quod ſit vltrà, prater, aut contrà naturales proprietates humanæ naturæ per ſe conſideratæ.* (Mallem in ſe dixiſſet. Verùm alia rurſus in iſtis calũnia manifeſtè patet. Debuit enim naturales proprietates nobiſcum diſtinguere, quarum aliæ ſunt eſſentiales, aliæ verò accidentales: & harũ rurſus aliæ ab ipſo Deo creatore cõditæ, aliæ per peccatum inuectæ. Eſſentiales & verè characteriſticas tolli non poſſe ſaluis ipſis eſſentiis affirmamus, inter quas numeramus Finitum eſſe, Circumſcriptũ eſſe, ac proinde Nõ amplius quàm vno loco ſemel eſſe poſſe: accidentales autem pro bona Dei volũtate vel penitus deſtrui, vel ad tempus mutari, vel quaſi ſuſpendi poſſe, ac etiam per peccatũ inuectas prorſus in glo-

ria abolendas esse, salua ipsa natura & essentia, concedimus. Tu quippiam hîc reprehende (Chemnici) si potes, vel calumniari define: desine, inquam, putida ista toties inculcare: cogitationibus humanis à nobis definiri quid & quantum dignitatis corpori illi assũpto accesserit. In hoc potius labora vt quum tibi vltrò concedamus multa & ὑπερφυικὰ & θαυμαφυικά in carnem Christi virtute inhabitantis Verbi collata, ostendas aliquid inter illa inueniri quod essentialem corporis proprietatem tollat: posse aliquid sublata essentiali proprietate id esse quod erat, id est, simul tale & non tale esse: nõ esse proprietatem veri corporis essentialem tribus dimẽsionibus circumscribi: non esse denique incommunicabile deitatis idioma vbique esse. Quòd si nihil istorum præstare possis, en aliam conditionem offero. Corpus Christi alibi quàm in cælis fuisse, ex quo nõ (vt tu malè cõiectas) cælũ cepit, sed cælo est receptum, vel futurum ad vltimum vsque diẽ demonstra, & manus dabimus. Vestra enim illa monosyllaba In, Sub vel Cum siue naturali siue mõstruoso illo modo accepta, iã pridem κατηργήθησαν, quum alioquin illa si ex Sacramẽtorum natura exponãtur, minimè repudiemus. Alia sunt, Chemnici, contradicentia quàm ὑπερφυικὰ vel θαυμαφυικά. Hęc concedimus præeunte Dei verbo, in cuius potestate scimus esse naturę totius non modò mutationem verũetiam destructionem. Contradicentia verò Deum velle vel posse (cuiusmodi illud esse dicimus quod in Christi corpore imaginaris) nunquã arbitrabimur, non quòd dubitemus de Dei omnipotentia, sed quia scimus mendacẽ esse Deũ non posse: mẽtiri autẽ posse non est potentis sed impotẽtis naturę. Certè ἀσυγχώρητος illa naturarũ εἰς ἀλλήλας nihil te iuuat, nec ἀσυγχωρεῖν idem est atque τὸ διήκειν, sicut ex Damasceni loco perperã intellecto scripsisti. Imò nec ambulatio super aquas, nec parietum penetratio, nec asina Balaami loquens, nec aquæ maris aut Iordanis parietum instar stantes, nec ferrum in aqua natans, nec ignis non vrens, nec visiõ illa Pauli in via, tuum istud de reali corporis Christi in terris præsentia ex hypostatica vnione stabilienda, confirmabunt. vel vllius impietatis D. Petrum Martyrem sanctæ memoriæ virum, cui mortuo maledicis, aut nostrorum quenquam conuincent: sicut planissimè demonstraturum me, fauente Deo, polliceor.

REDEO tandẽ ad te Illustriss. Princeps: An authoritatem

Cels.

Celſ. tuæ quandiu fieri potuit plūris fecerimus, quàm vllam noſtri exiſtimationem ex iis quæ ad Andreę calumnias nonnullas reſpondi, (nec enim omnes refellere animus fuit) ſatis conſtare exiſtimo. An verò ſilentium iuſtis de cauſis abruperimus: cætera, quæ pauca ſunt ex multis, abundè, vt ſpero, teſtabuntur.

Quid igitur ſupereſt? nempe vt moderati quidem ingenii hominum legitima συζήτησις tandem aliquando inſtituatur, ἄπακτοι verò quos nullæ adhuc mīnæ retinuerunt, plena authoritate coërceantur: vel certè, ceſſantibus hominibus, ipſe Deus iſtis malis remediū inueniat, quale præfracta iſta mundi peruicacia commeretur. Quem quidem ego toto pectore precor, Illuſtriſſimè Princeps, vt Celſitudinem tuam potēter conſeruet, heroico ſpiritu cuſtodiat, magis ac magis deniq; ad concilīandam Eccleſiarum pacem inflammet, eíque modis omnibus è cælis Altiſsimus benedicat. Geneuæ, VI. Idus Martii, anno nouiſsimi temporis, ſiue poſtremæ Dei noſtri patientiæ, CIↃ IↃ LXXI.

CELSITVDINI TVÆ

ADDICTISSIMVS

THEODORVS

BEZA.

SVMMA CAPITVM
huius tractationis.

DE duplici corporis Christi apud Vbiquistarum varias sectas consideratione. pag. 1.

CAPVT II.

DE communicatione idiomatum ex vnione personali, veteris Ecclesiæ doctrina. pag. 26.

CAPVT III.

AN quæ de tota persona in concreto dicuntur intelligãtur secundum vtranque simul naturam. pag. 53.

CAPVT IIII.

AN Deus dicatur in vnitate personæ passus, per realem prædicationem, & communicationem idiomatum. pag. 67.

CAPVT V.

RESPONSIO ad argumentum Vbiquistarum, de omnipræsentia carnis ab vnione personali. pag. 82.

CAPVT VI.

RESPONSIO ad argumentum quòd dextera Dei & sessio Christi ad dexteram sit vbique. pag. 109.

DE DVPLICI CORPORIS CHRISTI apud Vbiquitistarum varias sectas Consideratione.

CAPVT I.

ILLVD verè & constanter dici potest, in primitiua Ecclesia penitus ignoratam fuisse ὑπερφυσικὴν, siue miraculosam illam corporis Christi conditionem à Brentio excogitatam, qua simul & eodem tempore, pluribus aut etiam omnibus in locis adesse possit, seruata & non destructa veri corporis natura & proprietate, tum quòd Marcion, Valentinus, Basilides & alij hæretici, qui ad euertendam humanæ in Christo naturæ veritatem, omnia diligentissimè conquisiuerunt argumenta, hoc ipso, quod ab eius pluribus in locis sub Eucharistiæ pane præsentia sumi potuisset, & reliquis omnibus firmius futurum erat, non fuerint vsi: tum etiam quòd veteres patres, Athanasius, Tertullianus, Chrysostomus, Theodoretus, Gelasius & alii, aduersus eosdem hæreticos, ad veritatem carnis Christi probandam, argumentum ducant ab ipsomet Eucharistiæ sacramẽto, quòd videlicet non possit esse nisi veræ carnis sacramentum, figura, symbolum, siue repræsentatio, cuius profectò argumenti nulla in probando vis est, quod ad veritatem attinet toti naturæ communem, si ex articulo fidei statuatur corporalis hæc in pluribus locis sub pane præsentia. Nam certè si eiusmodi præsentiam ex legitima verborum Cœnæ interpretatione concedam esse senserunt hi patres, intelligi vix potest, illos ex Dominicæ Cœnæ symbolis, veritatẽ humanæ naturæ in Christo probare voluisse, quũ hæc probatio à vera & communi totius naturæ proprietate,

Primitiua Ecclesia, ignorauit præsentiam corporis Christi in pluribus simul locis.

1.

2.

Chrysost. Homil. 83. in Matt.

Si corpus Christi est in pluribus sub pane locis: ergo à pane Eucharistiæ non potest corporis Christi veritas probari.

non autem à peculiari aliqua ἰδιοφυΐᾳ & miraculosa ipsius in Cœna conditione sumenda sit. Itaque rectè Ignatius, *Verum corpus Mariæ peperit, quod esset quasi diuinæ naturæ domicilium, tale nimirum, quod hæc omnia quæ propria sunt corporis humani, nobiscum haberet communia.* Et Eustathius Antiochenus, *Qui per spiritum corpore præditum, homo factus est, is omnibus aliis hominibus membra gestat numero æqualia, atque simili vnicuique forma & specie indutus est.* Et Ambrosius, *Eadem in Christo corporis veritas est, quæ in nobis: Ideóque negans corpus Christi diuinitati æquale esse, iubet diuidi atq; separari, hoc quod nostrum est, ab eo, quod est Verbi proprium.* Augustinus autem de vera & inseparabili corporis Christi proprietate, qua in vnitate personæ, à verbi diuinitate, perpetua & immutabili nota discernitur, disputãs ait, *Deus vbique esse dicitur, quia nusquam absens est in semetipso, quia non continetur ab iis, quibus præsens est, tanquam sine iis esse non possit. Nam spatia locorum tollo corporibus, & nusquam erunt, Et quia nusquam, ergo nec erunt. Hinc vbique crede Christum, per id quod Deus est, In cælo autem, per id quod homo, secundum veri corporis modum.* Et hoc recenset inter capita fidei & symboli, *Quomodo in cælo sit (inquit) corpus Dominicum, curiosissimum & supernacuum est quærere: Tantummodo in cælo esse credẽdum est. Non enim est fragilitatis nostræ, cæterum secreta discutere, sed est nostræ fidei, de Dominici corporis dignitate, sublimia sapere.* Item, *Donec seculum finiatur, sursum est Dominus sed tamen hic nobiscũ etiã est veritas Domini. Corpus enim in quo resurrexit, in vno loco esse oportet, Veritas autem eius vbique diffusa est.* Hoc Augustini testimonium, cùm aliter refutare non posset Lombardus, hac elusione conatus est peruertere, Veritas eius, id est, verum corpus eius in omni altari, in quo celebratur.

Ignatius Epist. 2. ad Trallianos.

Theodor. dial. 2

Ambros. epist. 22. & lib. de incar. Domini.

August. epist. ad Dardanum.

Quid sit esse vbique.

Christus est in cælo secundum veri corporis medium.

De fide & symbolo cap. 6.

Cap. prim. de consec. dist. 2. tract 30. in Ioan.

Magist. sent. lib. 4. dist. 10

Verùm nequis ex Vbiquitistis excipiat, Augustinum hæc de corpore Christi absolutè & per se, & non in ipsa vnionis maiestate considerato, loqui: cauendum esse monet, ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Quam enim hoc loco aliam diuinitatem hominis intelligere potuit

August. considerat hominem Christum, vt est in Deo Verbo & ab eo gestatur.

tuit Augustinus, quàm eã ipsam qua in vnitate personę maiestate sua verè est Deus? Nõ enim de homine per se, & extra vnionẽ considerato, sed qui in Deo Verbo est, in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat, quíq; eo modo differt à reliquis sãctis, disserit Augustinus. Et tamen hac ipsa hominis Christi diuinitate, corporis veritatem ait non auferri, quominus per id tantùm quod Deus est, vbique, secundum autem quod homo est, in cælo esse credendus sit Christus. Vnde quemadmodum veritatem & naturam corporis in Christo, per diuinitatem ipsius non mutari, hoc sensu intelligendum esse vult Augustinus, ne vnà cum diuinitate, etiam humanitate sua, pluribus aut omnibus simul locis, sed in cælo tantùm sit Christus: sic in ipsa maiestate hominis Christi, in quam assumptus est per vnionẽ, diuinitatem ipsius, & vbique esse, & corporis veritatem & in cælo esse, inter se opponi, aut veritatem aut naturam corporis auferri est necesse.

Diuinitas hominis, est in vnitate personæ Verbi.

Diuinitas hominis non facit Christum esse vbique secundũ veritatem corporis. Quid sit veritatem corporis nõ auferri.

De hoc veri corporis modo, quo corpus à non corpore, essentiali sua ratione discernitur, alibi sic ait, *Nullum omnino corpus esse potest, siue cæleste sit siue terrestre, siue aëreum, quod non minus sit in parte, quàm in toto, neque vllo modo posset in loco huius partis, simul habere aliam partẽ, sed aliud hîc, aliud alibi habens, per quælibet spatia locorum distenditur.* Hoc discrimine, quasi propria naturarum differentia, creatorem à creatura discernendum esse docet, inquiens, *Si creatura corporalis vnius eiusdémq; naturæ esset cum Trinitate, quæ vnus Deus est, nec localiter in loco esset, nec temporis mutationem aliquando sentiret, nec de loco ad locum transiret, nec circumscriberetur quantitate molis suæ, Solius enim trinitatis proprium est, quia non est corpus, vt vbique sit tota, per spatia locorum non diuisa.* Item, *Deus totus in cælo, & in terra simul totus est, quod nulla natura corporalis potest.* Item, *Hoc est Deum esse, quod vbique totum esse. Totus ergo Filius apud patrem, totus in cælo, totus in terra, totus in vtero matris, totus in cruce, totus in inferno, totus in paradiso, quò latronem introduxit.* Atque ex hac perpetua naturarũ differentia, de ipsomet corpore Christi, in vnitate

Veri corporis modꝰ secundum August. Cont. Epist. Manichæi cap. 16. Epist. ad Dardan. & ad viduã Italicam.

De fide ad Petr. cap. 3. & vide cap. 18. de Spir. & anima.

Lib. 22. de ciuit. Dei. Lib. 3. de symbolo ad catechumenos, cap. 7

Hoc est eẽ Deum, quod vbique totum esse.

Epist. 3.

personæ, sic ait. *Neque tamen ideo Carni, quam ex Virgine assumpsit, ita infusus est Deus, vt gubernandæ vniuersitatis curam deseruerit, vel ad illud corpusculum, quasi contractam collectámque materiam, transtulerit. Hominum ille sensus est, nihil nisi corpora valentium cogitare, quorum nullum potest vbique esse totum. Quantumcunque enim sit corpus vel corpusculum, vt loci occupet spatium, eundémque sic impleat, vt in nulla eius parte sit totum, necesse est.* Vbique enim esse, & nullo claudi loco, Christo competit per diuinam naturam tantùm, per quam ipse in Patre, & Pater in ipso est. Huc pertinent dicta scripturę, Surrexit, non est hic: Assumptus est in cælum: Recessit ab iis, & ferebatur in cælum: Me autem nõ semper habebitis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum: Gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi: Iterum relinquo hunc mũdum. Hæc de seipso in vnitate personæ suæ Christus quanuis secundum diuinitatem nũquam à nobis recessurus. Non enim sic effugiunt, qui hæc dicta, quasi de corpore Christi, naturali & terrestri modo considerato intelligẽda eludere conãtur. Neq; enim hæc seorsim de corpore suo, neque secundum aliquem considerationis modum, sed de seipso Christus est loquutus, hoc est de humana natura sua, quatenus in vnitatem personæ assumpta, vnus est cũ eo Deus, qui propter has veri corporis proprietates, vna cum ipsa natura assumptas, visibilis, palpabilis & localis homo dicitur. *Alioqui, vt Cyrillus ait, Christum in duos diuidi oportebit Filios.* Manet itaque hic veri corporis modus, sicut & ipsa naturæ veritas, etiam in vnitate personæ Christi minimè mutatus. Sic & ante Augustinum ex perpetua Ecclesiæ doctrina Origenes, *Non est hominis (ait) esse vbicunque in nomine eius duo vel tres congregati fuerint, sed est virtus diuina in Iesu.* Et Tertullianus, *Vbique inuocatum adesse non hominis natura est, sed Dei, vt adesse omni loco possit.* Et Cyrillus, *Si diuina natura partitionem reciperet, intelligeretur & corpus. Si autem hoc, in loco omnino & magnitudine & quantitate: & si caderet in eam quantitas, non effugeret circumscriptionem.* In quam sententiam & Augustinus, quorum

Nullum corpus vbique totum esse potest.

Tractat. 106. in Ioan.

Mat. 28
Lucæ vlt.
Mat. 28
Ioan. 11
Ioan. 16

Iacob. Andr. in protocollo Heidel. fol. 203

Lib. 9. cap. 21. in Ioan.

Cypr. ser. de natiuit. Christi.

Hom. 33. in Matth.

De Trinit.

Lib. 2. dialog. de Trinitate.

Etiam diuinitas esset in loco, si esset corpus.

De incarnat. Verbi cap. 19

rum natura est, vt in loco sint, adeo in pluribus simul locis esse non posse, scribit: vt ipsam quoque diuinitatem Filij, si alicubi vt in loco esset, in illo tantùm, & non alibi tunc loco fuisse, affirmare non dubiter. Quòd itaque in Paulo, Petro, Ioanne, & singulis quibusq; sanctorũ sit secundũ quod Verbũ & sapientia Patris est, hinc manifestè deprehendi incorporeæ naturæ maiestatem nec loco concludi, nec rursum in vllo deesse loco. Fulgentius, *Quòd si verum est corpus Christi, loco vtique continetur.* Est igitur inseparabilis veri corporis in Christo proprietas, quantitate sua finitum esse, & loco contineri. Nam si, vt Augustinus ait, *Hoc est Deum esse, quod vbique totum esse*, consequens est, quòd hoc sit creaturam esse, quod tãtùm vno loco esse. Alioquin minimè idonea sed falsa erit Basilii, Ambrosii & Dydimi argumentatio, qui Spiritum sanctum, ab eo, quòd pluribus simul locis præsens fuerit & operatus sit, velut certa & incommunicabili proprietate, natura & essentia Deum esse probant, *Ipse enim spiritus sanctus*, ait Dydimus, *si vnus esset ex creaturis, saltem circumscriptam haberet substantiam, sicut vniuersa quæ facta sunt. Nam etsi non circumscribantur loco & finibus inuisibiles creaturæ, tamen proprietate substantiæ finiuntur. Spiritus autem sanctus quanuis in pluribus sit, non habet circũscriptam substãtiam. Angelus quippe qui aderat Apostolo in Asia oranti, non poterat simul eodem tempore adesse in cæteris partibus mundi constitutis.* Hoc ipso genere argumenti, ab actionibus & proprietatibus diuinæ & omnipotentis naturæ, ex hac veterum sententia, vsus est etiam Fulgentius: *Si potuit* (inquit) *cælorum virtutem firmare, qui non est Deus, si potest viuificare, qui non est Deus, si potest in Baptismatis regeneratione sanctificare, qui non est Deus, si potest charitatem tribuere, qui non est Deus, si potest in credentibus habitare, qui non est Deus. si potest gratiam dare, qui nõ est Deus. si potest tẽplum mẽbra Christi habere, qui nõ est Deus: & dignè spiritus sanctꝰ negabitur esse Deus. Rursus dicatur, Si ea quæ de Spiritu sancto commemorata sunt, potest aliqua creatura facere, & dignè Spiritus sanctus dicetur esse creatura. Si autem hæc possibilia creaturæ nunquam fue*

Christus est in sanctis secundum quod verbum patris est.

Lib. 3. ad Trasimundum.

Inseparabilis corporis Christi proprietas

Lib 1. de Spir. S. interprete Hieronymo.

Proprietas creatorũ spirituum.

A proprietate ad naturæ veritatem.

Lib 3. ad Trasimund. in fine.

Viuificare & in credentibus habitare, vnius atque solius Verbi Dei proprium est,

Ab vnitate operationis ad vnitatem naturæ.

runt, & inueniuntur in Spiritu sancto, qua tamen soli competunt Deo, non debemus naturaliter à Patre Filióque diuersum dicere, quem in operum potentia diuersum non possimus inuenire. Ac sic ex vnitate operis, cognoscenda est vnitas virtutis. Nec ergo quisquam dubitet, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, personarum Trinitate seruata, vnum naturaliter Deum confiteri, qui vniuersa potuit sola voluntate condere, qui cuncta potest virtutis omnipotentia gubernare, qui omnia potest immensitate diuinitatis implere. Si de mysterio incarnationis Christi sic sensit Fulgentius, qui se catholicæ & orthodoxæ Ecclesiæ episcopum profitebatur, vt credendum putaret, humanitatem Christi, quæ origine natiuitatis suæ est creatura, in ipsa vnione cum Verbo, reali diuinarum proprietatũ effusione omnipotentem, viuificam, & omnipræsentem effectum esse: certè cogitare debuit, non satis firmo se argumento in probanda naturali diuinitate Spiritus sancti, vsum, quoniam potuisset Spiritus sanctus, ex hæreticorum sententia, talis creatura condi, cui hæ diuinæ naturæ proprietates, quadam earum participatione, communicarentur, sicut Seruetus plenitudinem Deitatis, maiestatem, potestatem, & gloriam, homini Christo communicatam, docet, neque tamen propterea credendus esset Spiritus esse naturaliter ab æterno & essentia Deus.

Incommunicabiles diuinæ naturæ proprietates & actiones.

Hoc Cyrillus confutat in Arrio. Lib. 1. de Trinit.

Sed hæc quidem de proprietate & veri corporis modo naturaliter ita se habere concedunt corporalis in pane præsentię defensores, quorum triplex in contrarium opinio est. Confugiunt enim aliqui ad miraculum & ad omnipotentiam Dei, qui hanc dispensationem efficere possit, vt corpus Christi, pluribus simul sit locis, & hoc argumento, quod à proprietate veri corporis humani sumptum est, clamitant, omnipotentiam Dei in ordinem redigi, & communibus naturæ legibus subiici & cohęreri. Isti igitur præsentiam corporis Christi, in pluribus locis, vt ex hac sola atq; dispẽsatiua omnipotẽtia Dei, in virtute verborũ Cœnæ, causã habere, ita etiã in ipso Cœnæ vsu, & pane Eucharistiæ tãtùm, locũ obtinere volũt, eáque

Triplex contraria opinio.

Argumentum aduersarioꝝ ab omnipotentia Dei.

eiq; hactenus magis recepta quorundã ſentẽtia fuit.

Verùm non valet hæc conſequẽtia, à potẽtia Dei ad voluntatẽ ipſius. Non enim quid poſſit, ſed quid velit Deus facere, nobis audiendũ eſt: nec licet diuinę maieſt. omnipotẽtia, ad noſtra cõmenta ſine verbo Dei ſtabilienda, abuti. Hinc præclarè Tertull. aduerſus praxeã, *Planè*, inquit, *Deo nihil difficile eſt. Quis hoc neſciat? ſed ſi tam abruptè in præſumptionib⁹ noſtris hac ſententia vtemur, quidquid de Deo fingere poterimus, quaſi fecerit, quia facere potuerit, ſed an fecerit requirendum.* Eſt itaq; in primis ſcrutanda & quærenda voluntas Dei, quæ ſi perſpicuo ipſius verbo certa eſt, tunc verò demum, vt rectè ait Auguſt. *tota facti ratio conſiſtit in potentia facientis.* Omnia quidem poteſt Deus, ſed non omnia facit, niſi quod conueniat veritati eius & iuſtitiæ. Et in libris ſententiarum Proſperi, *Deus ſic omnipotens eſt, vt nunquam ſuæ rationis inſtituta conuellat.* Atque hanc ipſam ob cauſam, vt Theodoretus ait, *pleraque ſunt Deo propter omnipotentiam ipſius, impoſſibilia. Non enim poteſt*, ſcribit Auguſt. *facere vt ea quæ vera ſunt, eo ipſo quo vera ſunt, falſa ſint. Nam veritati aduerſari non poteſt, in quo eſt ipſa ſummæ & incommutabilis veritas.* Quum autẽ creatura & res finita, ſimul infinita eſſe non poſſit, propter implicationem contradictionis: & de corpore Chriſti Petrus ex æterno & immutabili diuinę voluntatis decreto dicat, Oportere hoc cælo contineri ſeu capi, vſque ad tempora reſtitutionis omnium: nec ratione nec auctoritate deſtitui videntur, qui dicunt, ſtantibus hiſce præſuppoſitis, impoſſibile eſſe, corpus Chriſti, ſalua proprietate & veritate ſua, qua noſtræ eſt ὁμοούσιον & naturæ, prout generali definitione de eo Scriptura teſtatur, pluribus in locis ſimul aut vbiq; eſſe poſſe: niſi ſingulare quiddam, & quaſi à generali hac Scripturæ definitione exceptum, in Cœna fieri manifeſto verbi Dei, pro fidei articulo traditũ eſſe, oſtẽdi poſſit. qua de re alias.

Sunt & alii Vbiquitiſtæ, qui quũ in hac corporalis præſentię defenſione, nihil firmitatis & præſidii eſſe videant, ac proinde intelligant, non poſſe concedi, eo modo quo in cælo eſt corpus Chriſti, in pane Eu-

Reſponſio ad Argumentum de omnipotentia.

Tertullianus.

In quæſt. noui Teſt. quæſt. 97 Auguſt. lib. 26. contra Fauſtum cap. 5. & cap. 10. lib. 5. de ciuit. Dei.

Act. 3

Impoſsibile ex hypotheſi.

Corporalis præſentia in Cœna, repugnat generali definitioni Scripturæ de corpore Chriſti. Iacob. Andre. in protocol. Heidelb. fol. 287

chariſtiæ realiter præſens incipere adeſſe, quinetiam inde concedendus ſit quidam è cælo deſcenſus, & no uus in panem ſeu locum panis, vbi antea nō fuit, aduentus, contra quàm fidei articulis ſit expreſſum: idcirco iſta Papiſtici erroris condēnata ſententia (quæ omnem præſentiæ corporis Chriſti cauſam, verbis & ſpeciali omnipotentia ipſius, in pane Euchariſtiæ definitam eſſe docet) multiplicē quendam eſſendi modum in corpore Chriſti, nec ſcripturæ nec veteris Eccleſiæ auctoritate vlla, ſed temeraria prorſus audacia

D. Iacob. Andre. cōt. Bezam fol. 5

comminiſci, & labantem alioqui cauſam, hoc infauſto patrocinio fulcire voluerunt. Triplex (aiunt) eſſe poteſt, corporis & humanæ naturæ Chriſti, ratio ſeu conſideratio. Prima phyſica eſt & naturalis, ſeu corporalis & circumſcripta, qua corpus Chriſti natura finitum, ſimul eodémque tempore, vnum tantùm locum occupauit, eóque circumſcriptum fuit vſque ad reſurrectionem, in qua omnes infirmitates carnis depoſuit, & corpus ipſius glorioſum effectum eſt.

1 Modus naturalis 1

Triplex modus eſſendi corporis Chri ſtum vbiq; ſtas.

2 Modus glorioſus 2

Altera ratio eſt, qua corpus Chriſti pro natura & proprietate corporum glorioſorum & ſpiritualium conſideratur, quę etſi non eo modo, quo phyſica corpora loco circumſcribantur, tamen proprietate ſubſtantiæ finiūtur, vt non ſint vbique, ſed alicubi, vbicunque ſunt. Et hoc modo Chriſtus (aiūt) eſt in cælo, & iuxta hanc rationem, corpora noſtra eius corpori glorioſo in reſurrectione erunt conformia, ex ſententia Apoſtoli.

Alibi dicunt cælum eſſe vbique.

3 Modus maieſtatis 3

Tertia ratio eſt corporis ſiue humanitatis Chriſti qua in vnitatem perſonæ cū verbo aſſumpta, ad dexteram virtutis & maieſtatis collocata eſſe dicitur, quæ non eſt localis, ſed infinitæ virtutis Dei participatio. Et ſecundum hanc tertiam rationem, Chriſtū volunt non modò diuinitate, verumetiam humanitate ſua, in pluribus & omnibus locis præſentem eſſe aut vnitatem perſonæ ſolui oportere. Et hæc poſtea ad Cœnæ negotium accommodantes, docent, præſentiam corporis Chriſti, neque pro phyſici & naturalis neque pro glorioſi corporis ratione, quibus cor-

pus

pus Christi absolutè & per se definiatur, constituendam esse in Cœna, sed per vnionem personalem, & modum cõmunicatæ maiestatis. Hæc est igitur huius commẽti, & totius Vbiquisticæ Theologiæ summa, quam à Reuerendo viro D. M. Luthero, sublimi quodam iudicio, & expedita in primis ratione, ad obiecta in contrarium dissoluenda, rectè atque grauiter traditam esse seriò admodum & magna cum authoritate inculcant.

Iacobus Andræas in præfat. Thesium Tubingensium.

Verùm hîc nobis illud primùm explicẽt Vbiquistæ. Si natura finitum, & loco circumscriptum fuit corpus Christi, vnde probent quòd in resurrectione, quum omnes infirmitates carnis deposuit, etiam hanc finiti & circumscripti corporis naturam simul abiecerit. Nam vt rectè sentiunt Scholastici, Finitio & circunscriptio circa creaturam est potius complementum ipsius & perfectio, quàm infirmitas, ideóque glorificata corpora non amittunt naturam & proprietatem veræ carnis, nec desinunt esse finita & loco contineri, aut posse palpari, sed, vt Lombardus ait, habent perfectum suæ naturæ modum. Eo autem ipso quòd creaturæ sunt finitam quoque & limitatam suæ speciei naturam illa habere oportet, quia, vt ait Ambrosius, *Omnis creatura certis suæ naturæ circumscripta est limitibus, nec creatura dicenda est, quæ non habet circumscriptam determinatámque virtutem.* Et quid oro sunt isti responsuri Theodoreto, qui corpus quo diuina mysteria repræsentantur, & cuius efficimur participes in Cœna, verum & eiusmodi corpus esse docet, vt eandem quam prius habeat formam, figuram & circumscriptionem, atque in suæ naturæ finibus maneat, quãuis immortale factum, & ad patris dexteram sessione dignatum sit? Quid item Augustino quum ait, *Formam serui resurrectio non consumpsit, sed in melius commutauit. In forma serui mortuus est & resurrexit, Forma serui leuata est in cælum, In ipsa sedet ad dextram Dei patris, In ipsa venturus est ad iudicium.* Et idem alibi scribit, Christum in nostræ proprietate & veritate naturæ ad dexteram Patris cõstitutum, in ea carne, quam ex Virgine assumpsit,

Confutatio modi gloriosi, sicut ab Vbiquitistis traditur.

T Refut. seu absurd.

Bonauentu. lib. 3. dist. 13. q. 2. art. 1. & li. 4. dist. 49.

Lib. de Spirit. S.

Dial. 2. & 3

Corpus Christi etiam in ipsa ad dexterã sessione est circumscriptum.

Lib. 3. contr. Maximi. cap. 16. & de Trinit. & vnit. Dei cap. 3. & ca. 8

Christus ad dexteram nostræ proprietate naturæ.

sacramentum propiciationis exequi, & Deo Patri nos reconciliare, suóque sanguine emundare. Item, *Sicut eundem Dei Filium & redemptorem nostrum secundum diuinitatem, inuisibilem, incorporeum & incircunscriptum, sicut & Patrem & Spiritum sanctum non credere, impium est: ita eundem Dei Filium, in homine assumptum, visibilem, corporeum, atque localem post resurrectionem non credere & profiteri, est prophanum.*

De essentia diuinitatis, in fine.

Humanitas in vnitate Filij Dei considerata, est visibilis & localis.

2 Ref. seu absurd.

Confusio veri corporis cum spiritu.

Deinde si glorioſi corporis modus quo in cælo esse dicitur non est corporalis sed spiritualis, ideóque non loci alicuius spacio vel circũscriptione, sed proprietate substãtię finitur in cælo corpus Christi, quomodo ab ipsis spiritibus, quorum hoc proprium esse Didymus ait, differre dicetur? Nõ ita de corpore suo Christus, Videte & palpate, Spiritus carnem & ossa non habet. Neque sic etiam de natura & conditione glorificatorum corporum, aduersus Ioannem Hierosolymitanum sensisse constat Hieronymum: Scholastici quidem ipsi hoc modo corporaliter & localiter in cælo esse concedunt. Et hoc planè sentit Augustinus, scribens, *Christus vbique est tanquam Deus, & in loco aliquo coli propter veri corporis modum, cui immortalitatem dedit, naturam non abstulit.* Item, *Ego corpus Christi ita in cælo esse credo, vt erat in terra, quum ascenderet in cælum, & quemadmodum ipse Christus discipulis de resurrectione ipsius dubitantibus ait, Palpate & videte, Spiritus carnem & ossa non habet.*

Veri corporis modus est loci spacio contineri. Augustlib.22.cap.30. de ciuit.Dei. Epistola.146.

Iacobus Andre fol.7. 72.& pag.109.contra Bezam.

3 Ref. seu absurd.

Denique si naturalis & glorioſi corporis modo corpus Christi absolutè & per se definitur, & in sua natura & substantia consideratur extra vnionem, & tamen hisce modis veritas ipsius asseritur, quomodo non inde concedẽdum erit, naturali & glorioso hoc modo, corpus Christi secundum substantiam & veritatem non fuisse nec esse vnitum Verbo, sed tantùm secundum Maiestatem? Et quid tandem erit hæc maiestas? an ipsamet verbi diuinitas? an humanæ substantię natura & veritas, an verò quiddam ex his tertium? & an creator vel creatura? Aut si naturæ inuicem per se & in proprietatibus suis

Iacobus Andr. fol.28. in Assertio. cõtra Bezam.

consideratæ,

conſideratæ, non ſunt in vnitatæ perſonæ ſubſiſtentes, quomodo perſonalis vnio non eſt naturarum confuſio? Ad hæc ſi ex Vbiquitiſtis quæratur, quo conſiderationis modo corpus Chriſti in mortem ſit traditum, non opinor dicēt quo ad dexteram maieſtatis ſedens, vbique præſens regnat in gloria. Ergo neque etiam hoc conſiderationis modo, panis Euchariſtiæ eſt vel dici poteſt corpus in mortem traditum.

Videamus autem, quēadmodum quæ ſupra dicta ſunt, cum ipſius D. Lutheri ſcriptis conſentiant. Is poſtquam Chriſtum Deum plures habere modos, quibus alicubi eſſe poſſit, dixiſſet non tantùm localem, ad Scholaſticorū doctrinam prouocat, quos rectè de hac re ſenſiſſe pronunciat. Eſt enim (ait) modus quidam eſſendi localis, qui loci alicuius circumſcriptione & ambitu, eiúſque & corporis locati commenſuratione fit & conſtat. Sic corpore ſuo quondā in terris fuiſſe Chriſtum, & ad iudicium reuerſurum ait, ſed hoc modo non in Deo, vel apud Patrem, nec in cælo eſſe. Mira ſanè ſententia, & quæ vix ac ne vix quidem probari poſſit. Quid enim? an hāc ſemel glorificati corporis proprietatē abolitam, & cum ea nō congruentem infirmitatem, in glorioſiſſimo ſuo aduentu reaſſumpturus eſt Chriſtus? Supereſt ergò vt D. Lutherus (vt homo erat) vel abſurdum hoc non viderit, vel illum modum localem ne nunc quidem vt infirmitatem à Chriſto depoſitam ſenſerit (quod tamen nunc docēt Vbiquitiſtę) vel certè repugnantia ſcripſerit. Illud verò quod ait, Chriſtum corpore ſuo in Deo non eſſe ſecundum illum modum localem, quomodo intelligemus? An enim aliter nunc eſt in Deo veritate ſui corporis quàm olim fuit, & in ſecundo aduentu futurus eſt? Certè ſi (quod non dicturum fuiſſe Luthərum credimus) in illa viſibili ſeruiforma, qua localis & circumſcriptus, imò etiam ad tempus paſſibilis atque mortalis fuit homo Chriſtus (nam, ne hæc quidem perſonalem vnionē impediebant) non erat in Deo vt ei perſonaliter vnitus, an non ſecundum has veri atque naturalis corporis

In confeſ. magna parte. 1. Anno 1528.

Lutherus prouocat ad Scholaſticos.

1. Modus localis.

Mira ſententia Lutheri.

Auguſt. forma ſerui eſt perſonaliter in Verbo: ergo & proprietates formæ ſerui ſunt perſonaliter aſſūptæ.

proprietates, quibus cæteri homines propria naturæ ſuæ perſona conſtant, fatendum erit, duas fuiſſe in Chriſto perſonas & hypoſtaſes, atque hoc modo conſideratam Chriſti humanitatem, in ſeipſa ſeu naturæ ſuæ perſona ſubſtitiſſe, & ex Maria virgine natã fuiſſe, quod voluit Neſtorius? Et quomodo igitur ſi Chriſti humanæ naturæ maſſa, ſecundum naturales totius ſpeciei conditiones, non fuit vnita Deo Verbo, viſibilis ille & localis homo, vere fuit Deus, & Deus homo, vt dici poſſit: Hic Deus noſter in terra viſus eſt, & homo iſte increatus eſt, ſi veri hominis naturales proprietates ſunt extra modum vnionis, hoc eſt extra ſubſiſtẽtiam in perſona Dei verbi, & de Deo nõ dicũtur, nec cõtra? Quid eſt igitur quod Patres dicunt, *Deus Verbum omnia quæ carnis ſunt propria, ſua facit, quia ipſius eſt corpus & non alterius*? Videlicet in ipſa Verbi, & nõ in communis naturæ hominum perſona ſubſiſtens. Longè profectò aliter ſcribunt ex Scripturæ & veteris Eccleſiæ cõſenſu, Cyrillus, Auguſtinus, Fulgentius & Vigilius, qui humanitatem Chriſti, quatenus diuinitati perſonaliter vnita, id eſt, in perſonæ vnitatem aſſumpta eſt ſecundum ſubſiſtentiam, per naturam carnis ſuæ, localem & circumſcriptam adhuc eſſe & manſiſſe conſtanter docent: indéque rectè dici, Deus eſt homo, localis, viſibilis & palpabilis, per vnionem. Nam vt caro & humanitas Chriſti, per naturæ ſubſtantiam: ita etiam vt localis, viſibilis, palpabilis & circumſcripta, in Verbi perſona ſubſiſtit & ſuſtentatur. Hócque magnum eſt illud pietatis myſterium, quòd Deus in carne viſibilis factus apparuit. Et hinc Scholaſtici probè dicunt, Deum Verbum, omnes proprietates, defectus & accidentia, quæ in humana natura plantauit, aſſumpſiſſe. Aut ergo caro Chriſti, in noſtræ proprietate naturæ conſiderata, vnita eſt Verbo per aſſumptionem, & homo localis, palpabilis, & circumſcriptus eſt & ſubſiſtit in Deo Verbo: aut hoc modo per ſe, & in propria naturæ ſuæ perſona ſubſiſtit, quod eſt Neſtorianum. Itaque, quum eadem ſit perſonalis vnionis ratio quæ olim fuit, nempe in ipſa corporis veritate,

Chriſtus vt in perſona verbi ſubſiſtẽs homo: ita etiam viſibilis & localis homo eſt.

Cyrill. Gelaſius, Theodo. Caro Verbi propria.

Cyril. de clar. Anath. 3

Sicut Verbum per aſſumptionem caro, ita quoque homo localis factum eſt.

Mag. ſent. lib. 3. diſt. 2. & 15. Thom. 3. part. q. 4. & 14. Gabri. lib. 3. diſt. 1. q. 2. concl. 3.

ritate (quæ veritas tollitur si circumscriptio tollatur, atque adeò si vel corpus vel anima Christi idiomate deitatis, id est infinitate ornetur quæ vbiquitatem consequitur) cõstat ab iis diuidi Christum qui localiter Christum nunc corpore suo in Deo esse negant. Quod si excipiant, nos tamen fateri sublatã esse passibilitatem & mortalitatem: respondemus posse qui dẽ illa corpori, manẽte ipsius veritate, adimi vt perficiatur, videlicet eo sublato quod non natura sed per peccatum humanis corporibus accidit: naturæ verò circumscriptionem esse veris corporibus adeò proprium & essentiale (quatenus corpora sunt) idioma, vt verissimum sit quod tanquam immotum principium sumit Augustinus, si tollas spatium corporibus ne corpora quidem esse.

Est vero & alius essendi modus, quem D. Lutherus vocat definitiuum qui loci spatium non occupat, sed spiritualis est, quo corpus Christi omnes creaturas penetrare possit, vt lapidem sepulchri, & clausam ianuam, secundum quem modum in pane Cœnæ esse ait corpus Christi. Hic verò nobis quæso expediant Vbiquistæ, quomodo cum Luthero, cuius se præcipuè dogma profiteri tantopere iactitant, cõsentiant. Nam ille quidem secundo hoc & definitiuo modo, carnem Christi esse in pane Cœnæ: ipsi verò tertio & sublimi illo maiestatis modo, vbique præsenter adesse docent. At enim (inquiunt) in huius secundi modi commemoratione, obiter tantùm præsentiæ carnis Christi in Cœna mentionem fecit Lutherus, quẽ tamen potissimum per maiestatis modum confirmare voluit. Imò constat in contrarium, quod non obiter & semel tantùm, sed plus quinquies apertè definiat, quemadmodum & quo modo, in clausa ianua, corpus Christi simul eadem forma & quantitate, cum ligno fuit, ita quoque & similiter in sacramento, vbi panis & vinum sunt, esse. Secundò, hoc etiam euidenter confirmatur ex eo, quòd palàm fatetur Lutherus, se hactenus docuisse & adhuc docere, parum referre, nec magni cuiusdam momenti quæstionem esse, siue quis panem in Eucharistia manere, vel

II. Modus definitiuus

Iacob. Andræ. fol. 7. contra Bezam.

Lutherus docet corpus Christi esse in pane, glorioso & definitiuo modo.

Respõsio ad obiect. 1.

Panis Cœnæ, quo ad præsentiam corporis confertur cum clausa ianua & lapide sepulchri.

II.

In cõfes. max. de prædic. identi. & in confes. parua, & de capti. Babylonica.

Lutheri ſententia inter VViclephum & Scholaſticos media.

non manere & tranſſubſtantiari, credat: & tamen inter Scholaſticos ſophiſtas & VViclephum ſe arbitrũ & cenſorem faciens tradit ex ſententia VViclephi, panem, & ſimul cum eo ex Scholaſticorũ doctrina, corpus ibi adeſſe, hoc eſt, non aliter nec minus ſub pane & vino, verũ corpus & ſanguinem eſſe & contineri, quàm ipſi ponant ſub ſuis accidẽtibus: atque

Luthe. contra regem Angliæ.

ita contra omnem humanæ rationis captum duas diſtinctas res, panem & corpus, vnam rem & eſſentiam eſſe & dici poſſe, contendit: vt ſic corpus Chriſti glorioſum, ſaluo pane, in ſacramento eſſe credatur, ſicut ignis eſt in ferro, ſalua ferri ſubſtantia. Sic enim ait. *Cur non poſſet Chriſtus corpus ſuum intra panis ſubſtantiam continere, ſicut in accidentibus? Ecce ignis & ferrum ſunt duæ ſubſtantiæ. Sic miſcentur in ferro ignito, vt quælibet pars ſit ferrum & ignis. Cur non multo magis corpus Chriſti glorioſum, ſic in omni parte ſubſtantiæ panis eſſe poſſet?* His autem verbis an non manifeſtè includitur ſeu definitur præſentia hæc, loco & quãtitate panis? Quorſum enim aliàs exẽpla hæc de ferro ignito, itẽ de clauſa ianua, & lapide ſepulchri? Et hanc eius perpetuã ſententiã fuiſſe: quòd videlicet corpus Chriſti, ex Papiſtarũ, adeóque Eccleſiæ (vt ipſe ait) doctrina, corporaliter & diffinitiuè in pane eſſe docere voluerit, multis poſtea annis diſertè teſtatus eſt & declarauit. Sic enim ſcribit, *Ad hunc modum ſub Papatu traditum eſt, quemadmodum nos etiam ſtatuimus & docemus, veluti vera ac priſca Chriſti Eccleſia, ante mille quingentos annos ſtatuit.* Et poſt, *Hoc autem modo docent Papiſtæ, (Imo non Papiſtæ ſed Eccleſia, non enim Papa ſacramentum inſtituit, & nos cum ijs) quòd corpus Chriſti non ſit localiter in ſacramento ſed diffinitiuè, hoc eſt, certò eſt ibi corporaliter & verè.* Adde quòd & Auguſtanæ confeſſionis articulus, hoc vulgato ſenſu ſit defenſus, quo ex eccleſiæ Romanæ conſenſu, ab imperiis ſtatibus dicitur eſſe approbatus. At verò ex Papiſtarum ſententia, ſic definit Gabriel: *Chriſtus pactus eſt cum Eccleſia, quod per aſſiſtentiam ſuæ ordinationis ſemper exhibere velit ſuam præſentiam ſub his ſpeciebus ritè conſecratis. Ordinauit enim, quòd corpus ſuum eſſet vbicunque forent*

Præſentia definita loco & ſubſtãtia panis,

Anno 1544. in confeſ. parua.

Prouocatio ad veterem Eccleſiam.

Lutherus probat modum præſentiæ quem docent Papiſtæ. quid de eo libro ſenſerit Philip. Melanct. vide in epiſtola ad Bulingerum.

Gabriel. Biel. lib. 4. diſtin. 8. q. 1. & diſt. 10. q. 1. concl. 10.

fuerunt species, quibus manẽtibus ab ijs non separatur. Hoc præsentiæ modo docent Papistæ corpus Christi esse in Eucharistia secundũ dimensionem quantitatum, per realem concomitãtiam, & comparari ad locum, non quidem secundum proprias dimensiones ipsius corporis, sed specierum sacramentalium, ita vt vbicunque sunt illæ species ibi sit corpus Christi, hoc est, non per se quidem in loco sit, sed per accidens in quantum continetur sub speciebus quæ sunt in loco. Hæc ergo recepta Papistarũ sentẽtia est, qua corpus Christi possit esse diffinitiuè in pane Cœnæ. Iam si cum Scholasticis & hac Papistarum doctrina, quod attinet ad corporis Christi in Eucharistia præsentiæ modum, sentire se credi & videri voluit D. Lutherus, quamuis non sublata sed sub permanente panis substantia, quomodo contra vniuersalem omnium Scholasticorum sententiam, longè alio, quàm ipsi doceant, modo, præsentiam hanc per vbiquitatem dexteræ & sessionis ad dexteram Dei, atque realem quandem cõmunicationem idiomatum, (quam ipsi penitus ignorant) definiendam esse affirmare audent Vbiquitistæ? Notum est ex libro De captiuitate Babylonica, quòd ex Petro de Aliaco scholastico & Cardinali Cameracensi, (qui vnà cum aliis quibusdam pro transsubstantiatione realem illam corporis Christi cum pane coexistentiam asserere voluisset libenter, sed non est ausus) opinionem suam quum primùm scholasticam Theologiam se hausisse scribit, acceperit, eámque sequutus fuerit D. Lutherus. Proinde quòd eandem quoque veteris & primitiuæ Ecclesiæ doctrinam fuisse putat, in eo ex falsò præsupposito facti errore, est hallucinatus. Nec tamen dominus Lutherus credi potest aliter quod ita scripsit intellexisse, quàm sub hac tacita & implicata cõditione, Si idem quoque (vt ipse persuasus putauit) vetus & primitiua perpetuò sensisset Ecclesia. Id verò quoniam apertè falsum esse ostendi potest, quis in iudicando futurus est tam iniquus, per quem non æquè liceat, vt ab ipsamet Papistarum & Scholasticorum, ita etiam à D. Lutheri sententia hac in parte

Thom. 3. part. quæst. 76. art. 4. & quæst. 81. art. 1. & Richardus li. 4. senten. dist. 10. art. 2. quæst. 1.

Sntia papistarũ de modo ꝑsentiæ corporis Chri in Cœnæ.

Hinc dicunt esse in loco, sed nõ localiter.

Ministri Hãburg. ad VVestphalũ anno 56.

Petrus de Aliaco author sentẽtiæ Luther

Papistarum sententia de Eucharistia, nõ est veteris Ecclesiæ sententia.

Vt Lutherus putauit se cum veteri Ecclesia sentire, ita de sententia ipsius ex veteris Ecclesiæ consensu est iudicandum.

Anno 23.

Inconstantia Lutheri

Cõfes. Mag. anno. 28.

Lutherus damnat & non damnat transsubstantiationem.

diſſentire? idque proprio ſaltem ipſius exemplo vt opinor licebit, vt qui contra Angliæ regem diſputans quaſi re preſsius deliberata, decernat impium & blaſphemum eſſe, ſi quis panem dicat tranſſubſtantiari: & tamen poſtea in controuerſia ſacramentaria, rurſus fateatur ſe docere parum referre, nec magni momenti rem ſeu quæſtionem eſſe, ſiue quis panem deſinere ſiue manere credat. Sed iſta ſanè dentur cõtentionis feruori. Oſtendant iſti Vbiquiſtarii, D. Lutheri teſtimoniis tam iniquè abutentes, quomodo eius nomine & auctoritate nõ abutãtur priuſquàm ipſius, magni quidem viri ſed tamen hominis cauſæ patroni idonei cenſeantur. Tertiò phraſes ſeu formulę loquendi manifeſtè id oſtendunt, quibus in explicãda hac præſentia ad populum paſſim vti conſueuit D. Lutherus, Nam iſta Corpus Chriſti corporaliter eſſe in pane: inuadere, & per verbum aduehi in panem: latere in pane: intra panis ſubſtãtiam contineri: in omnibus ſub ſacramento locis eſſe: & his alia ſimilia, omnino non congruunt iſti modo maieſtatis quo ſecundum eſſentiam ſemper & non minus extra vſum Cœnæ, quàm in ipſa Cœna in pane, omníque alia creatura præſens eſſe docetur corpus Chriſti. Oſtendant igitur Brentium Vbiquiſtæ, ex D. Luthero præſentiam quam is ex verbis Cœnæ conſentiente cum Papiſtis ſententia, realem & corporalem in pane docere, & conſtanter credi voluit, non eſſe nouam ſubſtantiæ corporis Chriſti, quæ antea in pane non fuerit, exiſtẽtiam, ſed vniuerſalis præſentiæ in omnibus creaturis, certam in vſu Cœnæ relationem & diſpenſationem: vel fateantur ſeſe falsò obiecto D. Lutheri nomine iſtarũ rerum ignaris fucũ manifeſtè facere. Quartò, quum iſtud Vbiquiſtarum genus, corpus Chriſti non primo & ſecundo modo, hoc eſt neque corporali & locali circũſcriptione, nec proprietate ſubſtãtiæ ſuæ finito modo, ſed ſecũdum maieſtatem in Cœna præſens eſſe, inaudito prius commento docent, an non hoc ſaltem modo infinitum eſſe tradunt? Atqui D. Lutherus alibi hoc ipſum corpus eadem prorſus quãtitate, forma

III.

Tale nihil legitur apud Patres, ſed nec probant Papiſtæ.

Sic docẽt Vbiquitiſtæ Theſi. Tubin. 55. & 80

IIII.

Cont. Cæleſt. prophetas.

forma & habitu, quo immolatum in cruce pependit, in ſacramẽto Euchariſtiæ præſens credi vult, veluti ex profeſſo contra iſtos nondum natos homines Vbiquiſtas diſputans. Sed & ex articulis concordiæ cum Zuinglio conſtat quòd quum ſatis inter eos conueniſſet, Euchariſtiam eſſe ſacramentum veri corporis & ſanguinis Chriſti: item quòd ſpiritualis manducatio ſeu ſumptio huius corporis & ſanguinis præcipuè Chriſtiano ſit neceſſaria, in eo tãtùm fuerit diſſenſio, An verum corpus Chriſti credendum ſit eſſe corporaliter in pane, qui manſit inter eos indefinitæ controuerſiæ ſtatus. Hæc verò minimè certè conueniunt cum eo præſentiæ modo, quo non minus ſecundum eſſentiam in pane Euchariſtiæ, quàm in omni penitus creatura eſſe dicitur ab iſta Vbiquiſta ſecta. Quum itaque ſecundo & definitiuo modo corpus Chriſti vt glorioſum in omni pane Cœnæ præſens eſſe & contineri velit D. Lutherus, & tamen hoc modo præſens vno tantùm loco eſſe poſſe doceant iſti Vbiquiſtæ. viderint quomodo hæc inter ſe concordent.

Marpurgi anno 29. Conſenſus & diſſenſus Lutheri & Zuinglij.

Vbiquiſtis eadem eſt præſentia ſecundum eſſentiã, in pane Cœnæ, & omni creatura.

III. Modus repletiuus.

Adfert quidem D. Lutherus, tertium quendam eſſendi modum, quo repletiuè, hoc eſt, tota vbique tota res adeſſe dicitur: verùm, vt apparet, in explicanda corporis Chriſti in pane præſentia, hunc amplius nõ vrget, ſed verba, Hoc eſt corpus meum. Idem tamen, fateor, quamuis primò dicat hunc modum ſoli atque vni Deo cõpetere iuxta illud Hieremiæ, Ego ſum Deus, qui cęlum & terram impleo, tamen poſtea, idem corpus Chriſti, omnibus hiſce tribus modis, atque ita quoque hoc cæleſti & diuino modo, quo vna cum Deo eſt perſona, vbique præſens eſſe poſſe, & niſi ita ſit, perſonæ vnitatem ſolui, ac fidem noſtram falſam eſſe dictitat. Sed age iſtius ſententiæ rationes ab eo allatas conſideremus.

Ita Auguſt. Epiſt. ad Darda. & Scholaſt. lib. 1. ſent. diſt. 37.

I. Rationes ſeu argum. Lutheri p̃ oĩpreſentia corporis Chri.

Chriſtus homo ſupernaturaliter vna eſt cum Deo perſona, extra autem hominem Chriſtum, nullus eſt Deus. Ergo ſequitur, quòd ſuper naturaliter eſſe poſſit vbicunque eſt Deus: & omnia intus & extra plena eſſe Chriſto etiam ſecundum humanitatem,

non quidem primo atque comprehensibili, sed supernaturali & diuino modo: quia vbicunque Christus est secundum diuinitatem ibi est naturaliter diuina persona, & est naturaliter & personaliter ibi. Ergo etiam ibi est vt homo. Non enim duę distinctæ sunt personæ, sed vna, adeò vt dato aliquo loco vbi esset Deus, & non etiam ipse homo, dissoluta statim foret personæ vnitas, quum verè tũc dici posset, Hic est Deus qui non est nec fuit homo.

Personalitas est à verbo, non à natura assumpta, quæ immensitate sua naturam assumptam excedit. Bonauent. lib. 3. dist. 10. art. 1. quæst. 2.

Item, Humanitas Christi consideranda est (ait) extra & super omnes creaturas simpliciter, in ipsa diuinitate, Atque hinc iudicat & infert fides, Extra creaturas nihil est quàm Deus, Et humanitas Christi secundum hoc est etiam extra creaturas, Ergo necesse est, vt sit vbicunque est Deus, & hoc nunquam fallit. Essentialiter quidem non potest esse Deus, sed quoniam supernè extra omnes creaturas essentiali Deo cohæret, & ibi est, vbi Deus est, sequitur, quòd ad minus sit personaliter Deus, & consequenter etiã vbiq; in omnibus locis vbi est Deus. Et alibi, Verbũ Dei non segregatur à carne. Vbi Deus est, ibi & caro Christi est. Sed Deus est vbiq;, Ergo & Christus quoque vbiq; est. Hæc D. Lutheri sunt, quæ certè sic intelligantur oportet, vt humana natura, quemadmodum nõ est ipse λόγος sed πρὸς λόγῳ vnita, sic ipsa non sit vbiq;, sed cum ea natura quæ est vbique: nec alio modo dicatur assumptus ille homo esse vbiq;, quàm quo modo dicitur esse Deus, nempe κατ' ἄλλο, siue quatenus hypostaticè in persona τοῦ λόγου subsistit. Hæc autẽ explicandi huius mysterij ratio sana & orthodoxa nihil prorsus istos iuuat qui humanitatem ipsam docent realiter esse vbiq; præsentem, quoniã cõmunicationem idomatum non in persona duntaxat (quod & nos concedimus) verum etiam in ipsamet humana natura, inuecto illo suo fictitio omni maiestatis portento, realem esse ponunt, quod nullus vnquam sanæ mentis homo ipsis largietur. Quòd si fortè D. Lutherum aliter sensisse contendunt, viderint quomodo cum Dei verbo, cum patribus, aut seipso denique concilient.

II

Talis imaginatio Eutychetis.

Huius argumenti, nec cohæret termini, nec constat consequentia. Sequeretur enim humanitatem Christi, in ipsa vnione non esse creaturam. Aliter idẽ ipse D. Lutherus in disputat. de communicat. Idiomat. Anno 1543. cont. Suencfeldt. In annotat. in Ecclesiast.

Ad hoc respondent Scholast. lib. 3. senten. dist. 22.

Certè

Certè ſiquis in hoc genere argumenti refutando operam ponere vellet, nihil eſſet ei facilius quam horum hominum vanitatem detegere, qui ſua perniciosiſſima commẽta, aduerſus omnium ætatum Eccleſiæ conſenſum, ſub Lutheri nomine & authoritate, obtrudere conantur, cuius tamen ipſimet doctrinam conuellunt, & Papiſticæ magiæ imprudenter arguunt. Ita enim pronuntiant, *Non poſſe crimen Papiſticæ magiæ effugere, qui veritatis Cœnæ Domini verbis, Hoc eſt corpus meum, tribuant vim adducendi ſeu faciendi præſens corpus Chriſti, quum credi oporteat, Chriſtum corpore ſuo verè in Cœna præſentem eſſe, priuſquam verba Cœnæ recitentur.* Quid hic audio? Deſiit vt intelligo, præſentia corporis Chriſti in pane, ampliùs miraculoſa haberi, quæ tamẽ permultis iam annis, ſolius miraculi & ſpecialis cuiuſdam potentiæ verborum Chriſti prætextu, falſò credita & defenſa fuit Quid verò de his D. Lutherus? An non ſola verborum Chriſti virtute, eáque quaſi vnica, & nulla alia cauſa, hanc in pane præſentiam effici, & credi ab omnibus atque pro eo haberi vult, qui hac parte cum Papiſtis ſentiat? Deniq; quid iudicaturi ſunt de Heſhuſſio & cæteris qui tantùm ex verbis inſtitutionis, & quo ſenſu dixerit Chriſtus, Hoc eſt corpus meum, de præſentia ipſius ſtatuendum eſſe, & extra oleas vagari ſcribunt eos qui rixas de vbiquitate immiſcẽt? Taceo quomodo iſtæc cum ſacramentali vnione, quam Lutherus docet, conſentiant. & quòd ſeipſos magicarum præſtigiarum reos faciant vbiquiſtæ, quibus olim Eccleſiam miſerè ſe faſcinaſſe fateri neceſſe habẽt, vt qui antea corporis Chriſti præſentiã, verbo contineri & conſeruari, atque hoc modo per verbum ad panem adferri, & præſenti exhibitione verbi præſentari & diſtribui, nec aliter panẽ corpus eſſe, quàm qua verbũ ad nos corpus adfert, ex ortho doxa ſe fide docere videri voluerint. Neque hic executio, qualem de patribus hoc ſuo iudicio cenſuram ferant, ſi quoties poſt recitata Cœnæ verba, panem corpus Chriſti eſſe ſeu fieri, aut operatorio ſermone, & efficiente inuiſibiliter ſpiritu Dei, panem in cor-

Brentius in Recog. Iacob. Andr in proto. Heidel. fol. 287.

Octauo Tomo Ienẽ. ſi, fol. 375. Diſſenſus Lutherianorũ à ſe invicem.

Luth. cauſam præſentiæ eſſe docet Vnionem ſacramentalem, Ergo extra eam nulla eſt præſentia.

Syngramma Theolo. Sueuiæ: & Brent. epiſt ad Bucerum.

Quid reſpondebunt Theophylacto?

Ambroſio?

Cypriano?

pus Christi mutari seu conuerti: & panem non effigie, sed natura mutatum, omnipotētia verbi factum esse carnem tradunt, credendi sunt statim de corporali præsentia sentire. Et tamen tam ingenua est horum hominum simplicitas, vt D. Lutheri & Patrum doctrinæ defensores ab omnibus haberi velint.

D. Lutheri sententia non consentit cum Scholasticis.

Sed nunc obsecro videamus, quomodo superiota Lutheri cum Scholasticorum doctrina, quos sententiæ suæ authores laudat, & quasi rectè in hoc sentientes commēdat, consentiant. Equidem quod ad id attinet quod D. Lutherus ait, Christum Deum plures modos quàm localem habere, quibus possit alicubi esse, scio tam incircumspectè in hac re nūquam esse loquutos Scholasticos. Quamuis enim hosce tres modos faciant, quibus ea quæ sunt, pro sua quæque natura & conditione, alicubi esse definiunt: tamen vt vna eadémque res, omnibus hisce modis sit vel esse possit, propter incompatibilem, quam includunt repugnantiam, nemo Scholasticos docuisse bona fide audebit affirmare. Localem enim corporibus etiam gloriosis, adeóque ipsi corpori Christi in cælo: definitiuum spiritibus, & quidem vno tantùm loco: repletiuum verò modum soli atque vni Deo, qui incommunicabili proprietate sua sit illocalis & incircumscriptus tantùm competere, omnes constanter tradunt. Itaque illa Lutheri quæstio, An Deus plures modos habeat, quibus possit facere eandem rem alicubi esse, omnino extra scopum. Quæritur enim de potentia Dei ordinata & cuius voluntas est testificata in verbo, non de ea quæ ignoratur. Sic autem ex Innocentio de diuinitate & humanitate Christi, & vtriusque essendi modis, sentiunt Scholastici.

Qmnes tres modi nō conueniunt vni rei.

Lib. 1. sent. dist. 37.

Sola Diuinitas illocalis.

Seuerianus apud Theodo. dial. 2.

Scholastici lib. 3. sent. dist. 22. & lib. 4. dist. 10. Vbi Bonauent.

Aug. epist. ad Darda,

N.

„ Quemadmodum filius Dei secundum essentiam est
„ in omnibus, secūdum gratiam in sanctis, & per vnionem in homine Christo: sic corpus ipsius localiter
„ est in cælo, Personaliter in Verbo, & vbique per communicationem idiomatum: & sacramentaliter in Eucharistia. Quamuis autem hic sacramentalis essendi modus, pro ratione signorum, hoc est, quomodo res vniuntur signis, secundum intentionem instituentis,

Bona. lib. 4. dist. 1. q. 2. & 3. & lib. 1. dist. 37.

tuentis, rectè possit explicari (quatenus videlicet ea quæ exterius in sacramenti figura, specie seu imagine fiunt, ipsa rerum veritate & præsentia, interius per fidem accipiuntur, vt vetus rectè sensit ecclesia) tamen aliter hæc sunt, ex malè præiudicato postea transsubstantiationis dogmate, per Scholasticos intellecta: sed ita, vt in hoc sacramentali essendi modo, corpus Christi à quantitatis & formæ suæ dimensione, velut proprietatibus suis, nequaquam velint esse abstractum sicut sentiunt isti Vbiquistæ. Esse enim, si per se intelligatur, in vno loco, docent quo definitur, sed quia plura sunt quæ pluribus in locis vbi fit Eucharistia in ipsum conuertuntur, ideò non quidem immensè & vbique vt Deum, nec tamen omnino circumscriptiuè vt aliud quod libet corpus & indiuiduum, sed medio quodam modo pluribus in Eucharistia locis tantùm esse docent. Hæc autem opinor, intelligunt omnes quam latissimè à superiore D. Lutheri explicatione modorum distare. Inde mirum videri potest, quomodo suæ sententiæ patrocinium à Scholasticis, quos manifestè secũ pugnantes habet, petere voluerit. Mihi planè verisimile fit, hæc ei calore & vehementia disputationis excidisse. Nam & anno postea trigesimooctauo, cum Vvittebergæ Vvaldensium Apologia, eo approbante, ederetur, constat ab eo admissum fuisse duplicem essendi modum, quem rectè ex scriptura explicant Vvaldenses, corporalem videlicet & spiritualem, quamuis hoc priori suæ sententiæ euidenter repugnare nõ ignoraret.

Vnio sacramentalis.

Scholastici de modo præsentiæ.

Videatur Apologia in loco de Sacramẽtis, & Cœna.

Simplex essendi modus apud Waldenses.

Extat verò & apud Scholasticos, triplex carnis seu humanitatis Christi consideratio, sed quæ nihilo magis cum istorum Vbiquistarum dogmate consentiat. Primò enim considerari aiunt humanam Christi naturam per se, & extra vnionem, vt est excellentissima & diuinissima creatura rationalis, condita sine peccato, quę sibi relicta, hoc est, si in vnitatem personæ cum Verbo assumpta non esset, suam in propriæ naturæ persona (vt Petrus & alii homines) haberet subsistentiam, qualem seorsim à Deo Verbo,

Bonauent. lib. 3. dist. 9. q. 1. & Gabr. ibi. conclu. 4.

I. Triplex carnis chri ap. scholasticos consideratio

Cyrill. in Apolog. defens. Anath. 4.

ex Maria natum hominem, quamuis verbo per inhabitationem & authoritatis dignitatem vnitum, malè docebat Nestorius. Alio & secundo modo considerari dicunt vt vnitam, & subsistentem in Verbo, quo cõsiderationis modo, sicut propter hanc in personæ vnitate Verbi propriam humanitatem, Deus est homo: ita etiam vicissim Homo est Deus, & vna est vtriusque adoratio. Tertiò autem & quasi medio quodam modo considerari vt vnitam docent pro ratione naturæ creatæ, quæ non est Deus, quamuis sit exaltata in gratia & gloria, super omnes animas beatorũ. Hosce verò posteriores duos modos, eruditè discernunt Scholastici, secũdum duplicẽ vnionis gratiam. Priore enim modo (aiunt) in vnitate personæ cum Verbo, considerata humanitas Christi, eleuatur super omnem statum creaturæ, vt sit vnigenitus patris, ab æterno & essentia Deus, non tamen in se siue ratione sui, sed in persona Verbi, cuius per assumptionem propria facta est humanitas. Altero autem ac posteriore modo considerata, nõ exit neque eleuatur vltra terminos creaturę, nec mutatur quod attinet ad substantialia ipsius, hoc est, vt Ambrosius & Theodoretus aiunt, manet certis suæ naturæ circumscripta limitibus. Quomodocũque enim, etiam vt Verbi propria, humanitas & naturâ consideretur, semper est & manet creatura, à Deo realiter & essentialiter distincta. Sic itaque Cyrillus: *Per incarnationis modũ, & vnionem inseparabilẽ Caro est caro, non diuinitas, etiamsi facta est Dei caro: similiter, Verbũ Deus est, non caro, etiamsi propriam fecit carnem per dispensationem.* Et Augustinus: *Secundum quod Verbum homo factus est, non minor tantùm patre, sed & in eadem carne factus est Angelis minor.* Et Fulgẽtius: *In deifica illa vnione, vera Christi humanitas, naturalem prorsus retinuit nostri generis veritatem.* Et Theodoretus ex Apollinari. *Inuisibile, simplex & immensum, corpori vnitum, nihilominus manet inuisibile & simplex, nec iisdem terminis, quibus corpus continetur: sed corpus manens in propria natura & mensura, vnitur Deo secundum vnificationem. Non enim Christi copulatio cum corpore, mutat corporis naturam.*

II. Cyrill. in defens. 2. Anath. concil. Ephes.

III.

Bonauent. lib. 3. dist. 3. q. 2. arti. 3. & distin. 13. Gabriel. dist. 1. q. 2.

Gabriel. lib. 3. distin. 9. concl. 3. & Bonauent. q. 1. & dist. 13. art. 1. q. 2.

Ad Oriẽtales Theod. Dial. 2.

Lib. de Trinit. & vnit. Dei. cap. 11. & lib. 1. de Trin. cap. 3.

Lib. de incar. & grat. cap. 4.

Dialog. 2.

Assumpta humanitas, in ipsa vnione manet localis & finita.

Fallum

Falsum est ergo, quod somniant isti Vbiquistæ, *nempe humanitatem Christi, etiam quà humanitas est, in vnione personali consideratam, absolutè & simpliciter ab omnibus differre creaturis*. Falsum est illud, *quòd in hac vnione duarum naturarum, Homo ratione suæ propriæ naturæ, sit personaliter, ratione vero diuinæ essentialiter Deus*. Iacob. Andre. contra Bezam. fol. 53.

Nam per relationem & dependentiam, quam in hac vnione humana natura habet ad Verbum, in quo personaliter subsistit, non desinit esse creatura, & caro de carne nostra, neque hoc reali discrimine in se distat à tota suæ naturæ specie. Quomodo enim aliàs quæ ei vt homini conueniunt humanitati nostræ, quam propter nos assumpsit, possent accommodari, vt docet Cyrillus? Aut quod in eo nostrum est, ab eo, quod Verbi est proprium separari, vt scribit Ambrosius? Nec vniri seu assumi in vnitatem personæ Verbi, est fieri personam, sed ab assumente persona sustentari. Alioqui personam in Christo per vnionem cepisse fatendum esset. Contrarium autem docet Augustinus, quum ait, *Christus in forma Dei quòd creator est, cõmune habens cum Patre & Spiritu sancto, Formã serui secundũ quam creatus est, solus habet personaliter in seipso*. Item, *Quia forma Dei, Formam serui accepit, vtrumque Deus est, vtrumque homo, sed vtrumque Deus, per accipientem & assumentem Deum, vtrumque homo, propter acceptum hominem*. Et Hieronymus, *Verbum Deus est, non caro assumpta*. Sed hæc prolixius & accuratius à Scholasticis explicata legi possunt, qui istorum imaginationibus quibus verã personalis vnionis rationem obscurant, probè & ingeniosè respondent. Gabr. dist. 1. q. 1.

Lib. 10. Thesau. cap. 1.

Fulgen. lib. de incar. & grat. cap. 5.

De fid. ad Pet. cap. 2. lib. 1. de Trin. cap. 7. Forma Dei communis cum patre. Forma serui personaliter est in Verbo.

Magist. sentent. lib. 3. distinc. 7.

Quoniam enim (aiunt) in ipsa vnione duarum naturarum, Hypostasis seu persona Christi quæ vtrique naturæ subsistit in circumscripta infinitate sua, excedit naturam assumptam, cuius in tempore facta est persona, ideo non est cõsequens vt quæ hoc modo in vna hypostasi subsistunt & vnita sunt simul cæterna & concomitanter sint vbique seu in omni loco. Ab altera enim natura habet ab æterno suũ esse persona Verbi: altera ei ex tẽpore adhærere cœpit per assumptionem, ad eiusmodi personæ subsistentiam.

Bona. & Gabr. lib. 3. dist. 22. & distinct. 13. quæst. 2.

Altera natura inest, altera adhæret per. onæ Verbi.

ex Maria natum hominem, quamuis verbo per inhabitationem & authoritatis dignitatem vnitum, malè docebat Neſtorius. Alio & ſecundo modo conſiderari dicunt vt vnitam, & ſubſiſtentem in Verbo, quo cõſiderationis modo, ſicut propter hanc in perſonæ vnitate Verbi propriam humanitatem, Deus eſt homo: ita etiam vicißim Homo eſt Deus, & vna eſt vtriuſque adoratio. Tertiò autem & quaſi medio quodam modo conſiderari vt vnitam docent pro ratione naturæ creatæ, quæ non eſt Deus, quamuis ſit exaltata in gratia & gloria, ſuper omnes animas beatorũ. Hoſce verò poſteriores duos modos, eruditè diſcernunt Scholaſtici, ſecũdum duplicẽ vnionis gratiam. Priore enim modo (aiunt) in vnitate perſonæ cum Verbo conſiderata humanitas Chriſti, eleuatur ſuper omnem ſtatum creaturæ, vt ſit vnigenitus patris ab æterno & eſſentia Deus, non tamen in ſe ſiue ratione ſui, ſed in perſona Verbi, cuius per aſſumptionem propria facta eſt humanitas. Altero autem ac poſteriore modo conſiderata, nõ exit neque eleuatur vltra terminos creaturæ, nec mutatur quod attinet ad ſubſtantialia ipſius, hoc eſt, vt Ambroſius & Theodoretus aiunt, manet certis ſuæ naturæ circumſcripta limitibus. Quomodocũque enim, etiam vt Verbi propria, humanitas & natura conſideretur, ſemper eſt & manet creatura, à Deo realiter & eſſentialiter diſtincta. Sic itaque Cyrillus: *Per incarnationis modũ & vnionem inſeparabilẽ Caro eſt caro, non diuinitas, etiamſi facta eſt Dei caro: ſimiliter Verbũ Deus eſt non caro, etiamſi propriam fecit carnem per diſpenſationem.* Et Auguſtinus: *Secundum quod Verbum homo factus eſt, non minor tantùm patre, ſed & in eadem carne factus eſt Angelis minor.* Et Fulgẽtius: *In deifica illa vnione, vera Chriſti humanitas naturalem prorſus retinuit noſtri generis veritatem.* Et Theodoretus ex Apollinari. *Inuiſibile, ſimplex & immenſum, corpori vnitum, nihilominus manet inuiſibile & ſimplex, nec iiſdem terminis, quibus corpus continetur: ſed corpus manens in propria natura & menſura, vnitur Deo ſecundum ſignificationem. Non enim Chriſti copulatio cum corpore, mutat corporis naturam.*

II. Cyrill. in defenſ. 2. Anath. concil. Epheſ.

III.

Bonauent. lib. 3. diſt. 3. q. 1. arti. 3. & diſtin. 13. Gabriel. diſt. 1. q. 2.

Gabriel. lib. 3. diſtin. 9. concl. 3. & Bonauent. q. 1. & diſt. 13. art. 1. q. 2.

Ad Orientales Theod. Dial. 2.

Lib. de Trinit. & vnit. Dei. cap. 11. & lib. 1. de Trin. cap. 3.

Lib. de incar. & grat. cap. 4.

Dialog. 2.

Aſſumpta humanitas, in ipſa vnione manet localis & finita.

Falſum

Falsum est ergo, quod somniant isti Vbiquistæ, *quòd humanitatem Christi, etiam quà humanitas est, in vnione personali consideratam, absolutè & simpliciter ab omnibus differre creaturis.* Falsum est illud, *quòd in hac vnione duarum naturarum, Homo ratione suæ propriæ naturæ sit personaliter, ratione vero diuinæ essentialiter Deus.* Iacob. Andre. contra Bezam. fol. 53.

Nam per relationem & dependentiam, quam in hac vnione humana natura habet ad Verbum, in quo personaliter subsistit, non desinit esse creatura, & caro de carne nostra, neque hoc reali discrimine in se distat à tota suæ naturæ specie. Quomodo enim aliàs quæ ei vt homini conueniunt humanitati nostræ, quam propter nos assumpsit, possent accommodari, vt docet Cyrillus? Aut quod in eo nostrum est, ab eo, quod Verbi est proprium separari, vt scribit Ambro. Nec vniri seu assumi in vnitatem personæ Verbi est fieri personam, sed ab assumente persona sustentari. Alioqui personam in Christo per vnionem cepisse fatendum esset. Gabr. dist. 1. q. 1. Lib. 10. Thesau. cap. 1. Fulgen. lib. de incar. & grat. cap. 5.

Contrarium autem docet Augustinus, quum ait, *Christus in forma Dei quòd creatus est, cõmune habens cum Patre & Spiritu sancto, Formã serui secundũ quam creatus est solus habet proprie & singulariter in ipso.* Item, *Quia forma Dei, Formam serui accepit, vtrumque Deus est, vtrumque homo, sed vtrumque Deus, per accipientem & assumentem Deum, vtrumque homo, propter acceptum hominem.* Et Hieronymus, *Verbum Deus est, non caro assumpta.* De fid. ad Petr. cap. 2. lib. 1. de Trin. cap. 7. Forma Dei communis cum patre. Forma serui personaliter est in Verbo. Magist. sentent. lib. 3. distinc. 7.

Sed hæc prolixius & accuratius à Scholasticis explicata legi possunt, qui istorum imaginationibus quibus verã personalis vnionis rationem obscurant, probè & ingenioſè respondent. Quoniam enim (aiunt) in ipsa vnione duarum naturarum, Hypostasis seu persona Christi quæ vtrique naturæ subsistit incircumscripta infinitaque sua, succedit naturam assumptam, cuius in tempore facta est persona, ideo non est cõsequens vt quæ hoc modo in vna hypostasi subsistunt & vnita sunt simul coæterna & concomitanter sint vbique seu in omni loco. Ab altera enim natura habet ab æterno suũ esse persona Verbi: altera ei ex tẽpore adhærere cœpit per assumptionem, ad eiusmodi personæ subsistentiam. Bona. & Gabr. lib. 3. dist. 22. & distinct. 13. quæst. 1. Altera natura ineſt, altera adhæret personæ Verbi.

Ad Dardanum ca. 56. de fid. ad Petr. cap. 2.

Et hoc ipsum est quod Augustinus dixit: *Non est consequens, vt quod in Deo est, sit vbique vt Deus.* Semper enim manet incommunicabilis veritas humanæ naturæ quam sibi vnitam diuinitas gerit. Et Theodoretus, *Christi persona omnes vtriusque naturæ proprietates recipit propter vnionem, Vnicuique autem naturæ conuenientia assignantur.* Itaque, contra quàm isti sentiunt, in ipsa quoque vnione seu assumptione in personam Verbi considerata humanitas Christi, non est ratione naturæ suæ personaliter Deus, Creator, & incircumscripta, quæ neque loci spacio neque proprietate suæ substantiæ finiatur: sed est & mansit creatura, circumscripta & nostræ naturæ ὁμοούσιος. Sic enim sedet ad dexteram Patris in carne nostra, hoc est (vt Augustinus ait) in nostræ vnitate & proprietate naturæ Christus. Et manifesta humanæ naturæ destructio est, carnem Christi (quatenus caro, & altera personæ ipsius natura est, perpetuóque discrimine ab ipsa Verbi diuinitate distat,) aliter considerare & animo cõcipere, quàm ipsemet nos Christus docuerit, inquiens, Palpate & videte spiritus carnem & ossa non habet. Hoc enim argumento, vt rectè monet Augustinus, veram nostri generis carnem probare voluit.

Dial 3.

Vt in ipsa vnionis maiestate caro differt à Verbo, ita manet vera creatura.

Vbiquistarum perfectio, est destructio humanæ naturæ. Thesi Tubin. 24. & 26.

Lib. de fid. ad Pet. cap. 14. Psal. 29. de agone Christi. cap. 26. cont. Secundinum, cap. 25. epist. 146.

Atque vtinam hæc tandem diligentius expendant qui ἀκριβολογίας καὶ παράδοξα ex libris contentionũ D. Lutheri colligunt. Scholastici ex verbis Cœnæ Domini veritatem carnis quam nobiscum communem habet Christus, in qua sacrificium peregit, & cuius cõmunione vnum cum eo corpus & membra ipsius efficimur, aduersus hæreticos probare nituntur. Vbiquistæ verò contra carnem Christi non eo modo, quo in se suáque natura & substantia consideratur eiúsque veritas asseritur, & quomodo conformes ei efficiemur, sed per modum communicatæ maiestatis, qua personaliter Deus, & nullo modo circumscripta est, sed simpliciter ab omnibus distincta creaturis in Cœna præsentem esse & communicari docent. Hoc verò si cõcederetur, sanè falsa & insulsa esset ex verbis Cœnæ desumpta veri corporis humani pro-

Iacob. Andr. fol. 6. & 61. & 123. cont. Bezã.

Hoc modo panis nõ est corpus in mortẽ traditum.

[illegible]tio. Atque hoc loco velim diligentius ex-[illegible], quòd quum apud Theodoretum Eranistes [illegible]ssimo illo vnionis vinculo, eodem fere modo [illegible]nc Vbiquistæ simul cum diuinitatis natura, [illegible]ti carnem incircumscriptam ostendere cona-[illegible] in contrarium Orthodoxus, tum ex proprie-[illegible]bus & actionibus finiti & circumscripti corporis [illegible] confusa naturarum distinctione: tum etiam ex [illegible]ilitudine & conformitate corporis Christi cum [illegible]poribus sanctorum: tum denique ab Eucharistiæ [illegible]cramento quod veri corporis exemplar & figura [illegible] veritatem finitæ, & quantitate atque forma sua [illegible]cumscriptæ carnis, (cuius symbolum est panis & [illegible]ius in Cœna participes efficimur) ex consensu Ec-[illegible]lesiæ temporis sui, constanter asserit, minimè veri-[illegible] ne à quoquã ecclesiastico & orthodoxo scripto-[illegible], iustè & cum ratione in eo reprehendi posset. Et [illegible]men qui hoc hodie intolerabili arrogantia & fa-[illegible]tu facere non dubitant, videri scilicet volunt no-[illegible] in Ecclesia dogmatis authores non esse.

Dial. 2.
Vbiquistarũ opinio ꝑ Theodo. confutata.

I.

II.

III.

Theodoretum probat Leo Romanus. Ergo hinc idem sensit Ecclesia Romana.

Certè non est cur isto suo futili commento satis-[illegible]ctum esse putent piis mentibus, quæ de præsentia corporis Christi in Cœna, quatenus, ex intelligentia & veritate verborum, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, causam habet præcipuè cupiunt edoceri: quum tres isti modi quibus corpus Christi aliter atque aliter considerari & præsens esse, primi omnium in Christi Ecclesia docent Vbiquistæ, cum ipsis Cœnæ verbis & corpore in mortem pro nobis ad remissionem peccatorum tradito, eiúsque sacrifi-[illegible]ii memoria & repræsentatione nihil habeant com-[illegible]une. Quorsum igitur ad corporis Christi in Cœ-[illegible]na præsentiam & communicationem ex ipsius ver-[illegible]bis probandã tam periculosa doctrinæ nouitate hos [illegible]dos comminisci fuit necesse? At hic liberè faten-[illegible]tur, Non posse alia ratione quàm tertio considera-[illegible]tionis modo præsentiam corporis Christi in Cœna [illegible]tineri & defendi. *Nisi enim, aiunt, perpetuò hoc & im-[illegible]mutabili præsentiæ modo, semper & vbique corpore suo ad-[illegible] Christus, necessariò fatendum est illud incessabili muta-*

Iacob. Andræ. contra Heidelberg.

Morlinus, Selpecterus, & sibi contrarius Heshusius.

tione seu migratione ab vna loco in alium moueri. Verùm hoc alii planè non concedunt, & doctrinam de vbiquitate corporis, à Cœnæ negotio penitus remouendam esse scribunt, & nihilominus vtrique videri volunt (scilicet) pro vera præsentia, & veritate atque proprietate verborum Christi decertare.

Illud igitur admonendi sunt meritò corporalis præsentiæ defensores, si soli in Ecclesia sapere & audiri, reliquos autẽ priuata illa sua & temere vsurpata iudicandi licentia, (vt quondam fecit Nouatus) pro hæreticis haberi velint, vt inter se ipsi verè constituant & conueniant prius, An secundum modum & naturam glorioli corporis virtute & omnipotentia verborum Christi in vsu & omni pane Eucharistiæ tantùm, an verò ab vnione personali secundum modum maiestatis & dexteræ Dei quem fingunt, vbique & in omnibus creaturis præsens esse credenda sit veritas & essentia corporis Christi. Alterum enim, vt neutra harum opinionum vera sit, esse: alterum autem nempe vt vtraque sit vera, nulla fieri ratione potest.

Mira inter ipsos hiberanos pugnantia.

DE COMMVNICATIONE

Idiomatum ex vnione personali, veteris Ecclesiæ doctrina.

CAPVT II.

IAM multa subinde noua excogitata sunt argumenta, quibus corporalis illa Christi nostris temporibus præsentia defensa fuit, vt tandem ipsa argumentorum varietate, etiam dissimiles inter ipsos defensores obortæ sint sententiæ. Sunt enim qui à vulgo recepta hactenus atque suamet ipsius quoque sententia, desciscentes, omne firmamentum huius causæ, in reali idiomatum seu proprietarum communicatione consistere, & absque hac veram (vt ipsi aiunt) præsentiam Christi in Cœna, nullo modo constare nec retineri posse, audacter profitẽtur. Ex quorum iudicio

Vbiquistæ.

omninò concedi oporteret, ignoratam fuisse ... & ad hæc vsque eorũ tempora veram præ... Christi in Cœna rationem: & errasse qui Chri... pus in pane præsens quidem esse opinati sunt, sed non hac ratione & hoc modo. Nam quodlibet verum, nõ nisi ex sua propria & vera ratione, verum... dici & intelligi potest. Itaque eleganter Augu... ait. *Quisquis vllam rem aliter quàm est, intelligit, fallitur, Et omnis qui fallitur, id in qua fallitur, non rectè intelligit. Quisquis igitur vllã rem aliter intelligit, quàm se habet intelligit.* Sic factum est, vt etiam hanc de communicatione idiomatum Ecclesiæ doctrinam, controuersam & corruptelis obnoxiã fieri necesse fuerit. In primis autem quum de Idiomatum communicatione quæritur, non existimandum est hoc quæ... vt plerique magno errore putant, An Christus vt... sit Deus & homo, vel An quæ diuinæ & humanæ naturæ propria sunt, verè & realiter cõperant Christo in vnitate personæ, sed An vnius naturę proprietates alteri communicentur, & quomodo. Proinde inepta ne dicam stulta quorundam argumentatio est qui ita colligunt, Si communicatio idiomatum non est realis, sed verbalis, Ergo Christus est verbaliter & denominatiuè Deus. Cur non enim eâdem etiam ratione verbaliter dicendus esset homo? Nam & ipsemet Nestorius, quamuis mutuã idiomatum communicationem in vnitate personæ non admitteret, fatebatur tamen Christum in vtraque natura, sed vt Alium & Alium, verum Deum & hominem esse. Cæterùm sicut hæc de communicatione idiomatum doctrina, accuratè explicata est ab orthodoxis Ecclesiæ patribus, ad intelligendum incarnationis mysterium, & retinendam vtriusque naturæ proprietatem, in vnitate personæ Christi, aduersus Nestorium, Eutychetem, & alios: ita præcipuè ab iis petenda est perpetua & consentiens hac parte eccle... sententia. Sic autem vsitatè definiri solet, quòd... prædicatio vtriusque naturæ Christi de se mutuò inconcreto: & mutua proprietatum attributio, qua vtraque natura ea quæ alteri tantùm propria sunt,

Quodlibet verum ex vera sua ratione verum est.

Lib. 80. quæst. cap. 31.

Stata controuersia de re... idiomatum.

obj.

Nestorius fatebatur Christum Deum & hominẽ verè, sed non vt Vnum.

Communicatio idiomatum quid sit.

vicissim permutat propter identitatem hypostasis & personæ, secundum quam dicere possumus, Deus est homo, & Homo est Deus. Item, Hic Deus noster in terra visus est. Et, Homo iste increatus est. Vnde quemadmodum ipsæ naturæ de se inuicem, non reali quadam vnius cum altera communicatione, sed nominum inter se permutatione dicuntur: ita quoque proprietates naturarum, vice mutua propter personæ, cui hæc verè competunt, vnitatem, communicari & permutari intelliguntur. Non enim aliter naturarum proprietates, quàm ipsemet naturæ, inter se communicari possunt, sed sicut naturæ vnitæ sunt, sic etiam attributa naturarum permutantur, vt Nazianzenus ad Cletodium docet: quia ex naturarum vnione in eiusdem personæ subsistentiam, proprietatum descendit communicatio, & nõ contra. Est itaque hæc Idiomatum communicatio forma seu modus loquendi, quo, ea quæ vni naturæ in Christo propria sunt, eique verè & realiter competunt, tribuuntur toti concreto propter personæ quæ in vtraque natura subsistit, vnitatem. Atque ita loquutiones illas, quæ per communicationem idiomatum, mutua quadam prædicatione, dicuntur semper intellexit Ecclesia. Ignatius, *Filius Dei, qui quum nullo sit tempore cõprehensus, certò tamen aduentus sui tempore est expectandus: & quum natura sit inuisibilis, factus est tamen visibilis in carne humana, & quum vt incorporea natura, tactus expers esset, propter nos attingi palparique in homine voluit: et qui vt Deus pati nõ potest, nostra causa passus est vt homo, prorsusque nostram naturam suscepit.* Idem: *Deus vt homo apparuit, & homo vt Deus operatur.* Ex his constat, ab Ignatio, Filium Dei, cum exceptione propriæ naturæ, in aduẽtu temporalem, item visibilem, palpabilem, & mortalem dici, propter nostræ naturæ, cui hæc competunt, & eorum cum natura susceptionem. Quum autem ab his humanæ naturæ attributis seu proprietatibus excipiatur, planéque immunis sit natura diuina, causam in vnitate hypostasis subesse oportet, cur hæc nihilominus Filio Dei competant & tribuantur: quia videlicet, vt

Damasce. lib. 3. cap. 4. de orthod. fid. Gabr. Biel. & Schol. lib. 3. distinct. 7. quæst. 1.

Apud Theodoretum.

Ignatius epist. 8.

Proprietates humanæ naturæ tribuũtur Verbo, propter earum assumptionem in vnitatem personæ.

cet, vt Athanasius ait, *quæ corporis & humanæ naturæ Christi propria sunt, de tota persona dicuntur.* Et Theodoretus. *Communia personæ fiunt, quæ naturarum sunt propria.* Athanas. apud Theodor. dial. 3.

Sic etiam eleganter istam idiomatum communicationē explicat Damasus in suo symbolo, quum ait, *Qui Deus erat, Homo natus est, & qui homo natus est operatur vt Deus, & qui operatur vt Deus, moritur vt homo, & qui moritur vt homo, resurgit vt Deus.* Damasus apud Hieronymum.

Cyrillus quoque hoc modo proprietates & idiomata vtriusque naturæ in Christo communicari docet. *Idem*, ait, *in eodem Deus & homo, in quo sua ducit Deus Verbum, quæ carnis sunt propria, quia ipsius est corpus & non alterius, & vicissim communes facit cum sua carne diuina maiestatis sua operationes.* Item, *Per vnionem dispensatiuam propria fecit Deus Verbum, ea quæ carnis sunt. Non enim erat alterius cuiusdam, sed eius potius quæ ineffabiliter ei erat vnita, carnis. Ita enim Verbum caro factum est.* Sic autem proprietates naturarum, in vnitate personæ vtrinque communicari intelligendum esse vult Cyrillus, vt nihilominus in ipsa naturarum inconfusa distinctione etiam discernātur, & sua cuique naturæ propria attribuantur, nulla nec naturarum inter se, nec proprietatum facta confusione. *Prodest* (inquit) *& necessarium est, vt in vno Christo id accipiamus, quod secundum aliud & aliud de vno eodémque constituatur: & quod in duo diuidi non permittat, licet diuersa inter se, & minimè conuenientia acta esse dicantur. Est autem tale quod dico: Natum esse secundum carnem ex muliere dicimus Deum Verbum, quamuis ipse omnibus præbeat nasci. Item puer proficiebat & confortabatur & implebatur sapientia & gratia quū natura perfectus sit Deus, & ex plenitudine sua spiritualia sanctis impertiat, & ipse sapientiæ dator sit & gratiæ. Quomodo igitur proficit puer, & sapientia impletur & gratia? Secundum aliud & aliud. Quum enim idem sit homo simul & Deus, propter vnitatem propria sua ducit humana. Vnigenitus porro idem sanctificatus fuisse dicitur spiritu, quum ipse sanctificare soleat accedentes. Baptizatus est secūdum carnem, qui in spiritu sancto baptizabat. Quomodo igitur idem sancti-*

Cyrill. de incarnatione Vnigeniti. cap. 7. & 8.

Quomodo propria carnis tribuātur Verbo.

De recta fide ad Theodos. & in expositi. symbol. Niceni.

Verbum caro factum est, quia carnē & quæ carnis sunt, propria fecit Maxentius libro Fidei.

De Incarnat. Vnigeniti cap. 26.

Proprietates intelliguntur de Christo secūdum aliud & aliud.

Deus verbum ex muliere natus.

Secundum, aliud & aliud.

Distinctio proprietatum in vnitate personæ secundū differentiam naturarum.

cat ac ſanctificatur? & baptizat & baptizatur? ſecundum aliud & aliud. Sanctificatur enim humanè, ſic & baptizatur: ſanctificat autem diuinè, & baptizat in ſpiritu ſancto. Communio proprietatum in perſona, fit earum diſtinctio ſecũdum aliud & aliud in natura. Quum ipſe ſuſcitet mortuos, reſurrexit à mortuis, & quũ ſit per naturam vita, viuificari dicitur. Hoc quoque ſecũdum aliud & aliud. Ipſe enim reſurrexit quidem à mortuis, & viuificari dicitur ſecundum carnem: viuificat autem & ſuſcitat à mortuis, vt Deus. Patitur & non patitur, ſecundum aliud & aliud, patitur autem humana carne, eò quòd homo ſit: impaſſibilis autem manet vt Deus. Adorauit nobiſcum, adeſt etiam adorandus, flectitur enim ipſi omne genu. Hoc quoque ſecundum aliud & aliud. Adorat enim qui naturam aſſumpſit quæ debeat adorare, adoratur autem idem, quaſi maior adorante natura, eò quòd intelligatur Deus. Nec tamen hac adoratione diuidendus eſt in Deum ſeorſim & hominem ſeorſim. Item, Singula factorũ atque dictorum in Chriſto congruè diſcernentes, à vera ipſius cognitione, non aberrabimus. Vnum enim Chriſtum ſcriptura prædicãt. Sicut igitur ab operibus verus Deus cognoſcitur, ſic neceſſe erat à conuenientibus homini dictis atque operibus & paſſionibus, ut verus homo cognoſceretur. Duarum igitur ipſius naturarum cognitio ex dictis & factis neceſſariò facienda erat. Quare ipſi quoque debemus quæ vero Deo conueniunt, diuinitati ipſius: quæ homini verò: humanitati noſtræ quam propter nos aſſumpſit, accommodare. Sic igitur quæ de Chriſto dicuntur intelligenda ſunt, vt nec quæ deitati conueniunt, humanitati ipſius attribuantur: nec quæ humanitatis propria ſunt, ad deitatem ipſius detorqueantur.

Lib.10. Theſauri ca.1.

Quomodo Chriſtus verè cognoſcendus. Idem Epiſt. 2. ad ſucceſſum.

Humanitas in Chriſto cõſideratur vt noſtra.

Lib.10. Theſaur.ca.7. & de Trinit.lib.5.

Hinc igitur cõſtat Idiomatum ſeu proprietatum communicationẽ in naturis, non magis eſſe realem quàm ipſæmet naturæ inter ſe realiter communicẽtur & confundantur: quoniam, vt rectè Theodoretus ait, Proprietatum ablatio & confuſio eſt vtriuſque naturæ negatio: vnio verò nomina communia facit. Omnes vtriuſque naturæ proprietates Chriſti perſona recipit: vnicuique autem naturæ conuenientia aſſignantur. Alioqui niſi inconfuſæ ſeruentur naturarũ proprietates, nec de Deo vt Deo, nec de carne vt carne rectè cogitari poteſt.

Naturæ non communicãtur inuicem realiter. Ergo nec proprietates. Theodoretus Dial.3.

Auguſt.lib.de Trinit. & Vnit. Dei cap. 6. & de peccat. meritis & remiſ.lib.2.cap.3.

Et ſic Auguſtinus quoque in vnitate perſonæ nomina

mina naturarum vtrinque communia fieri & permutari & cuiuſque naturæ propria, quamuis de tota perſona promiſcuè & verè dicantur, tamen ſecundum aliud & aliud diſcernenda eſſe docet, inquiens, *In vnitate perſonæ Chriſti, ex diuina & humana natura, qualibet earum vocabulum etiam alteri impertit, & diuina humanæ, & humana diuinæ.* Item, *Ille qui erat filius Dei factus eſt filius hominis in vnitate perſonæ. Vt anima & caro vnus eſt homo: ita Verbum & homo, vnus eſt Chriſtus. Carni enim ita vnitur anima, vt vna ſit cum carne perſona. Vnde ſalua naturæ vtriuſque proprietate, adiicitur ſeu attribuitur carni quod eſt animæ, & vicißim animæ quod eſt carnis, pro vnitate perſonæ, non pro diuerſitate naturæ. Quod igitur ſingulis eſt proprium, commune fit amborum: proprium naturæ, cõmune pro perſona.* Item, *Duabus naturis in Chriſto incomprehenſibili diſpenſatione coniunctis ſingulis ſeruantur propria, ſed propriis coniunguntur aliena* Item, *Vna perſona Deus & homo eſt. Si diſtinctionẽ naturæ attendas, Filius Dei de cælo deſcendit, & Filius hominis eſt crucifixus: ſi vnitatem perſonæ, Filius hominis deſcendit de cælo, & Filius Dei eſt crucifixus. Propter hanc vnitatẽ perſonæ, filius hominis dicebatur eſſe in cælo, quum* » *loqueretur in terra.* Item, *Non conſumit maieſtatem Filij* » *Dei veritas carnis, aut veritatem carnis immenſitas maie-* » *ſtatis Dei. Vnum radiat virtutibus ſuis, aliud ſubiacet in-* » *firmitatibus noſtris. Vnus & idem inſeparabilis Chriſtus,* » *& humiliatur in aſſumptis, & glorificatur in propriis.* Et ſi igitur proprietates vtriuſque naturæ conueniant perſonæ, & earum inter ſe mutua permutatio ſit in concreto, quia verè ac realiter perſonæ competunt: tamen vbi ipſemet naturæ, quæ in hac vnitate perſonæ inconfuſæ manſerunt, cõferuntur, ea quæ cuique propria ſunt de ſua tantùm, & non altera natura, propriè & realiter dicũtur. Et hinc in Scripturis obſeruandum & diſtinguendum eſſe monet Auguſtinus, quid ſonet ſecundum formam Dei, & quid ſecundum formam ſerui, vt quid & propter quid, & quid ſecundum quid, habeat & de eo dicatur prudens & pius lector intelligat.

In eandem ſententiam hanc idiomatum com-

Contra Maximi. lib. 3. cap. 20.

Lib. de Trinit. & Vnit. Dei cap. 2.

De ſpiritu & anima cap. 41.

Communicatio Idiomatũ intelligitur ſalua cuiuſque naturæ ſua proprietate.

Contra Felicianum cap. 10. & 11.

Contra ſermo. Arria. cap. 8.

Contra Felician. cap. 12.

Caro in vnione non fit immẽſa cũ Verbo.

Proprietates reſpectu perſonæ vtrinque fiũt communes.

Lib. 1. de Trinit. ca. 13. & tract. 91. in Ioan. Epiſtol. 102. Et Iuſtin. Mart. in expoſit. fidei.

Gelaſius contra Neſtorium, Anno 413.

municationem explicat Gelasius, *Sicut legitur Dominus maiestatis, sic vtique legitur etiam Filius hominis. Itaque & Dominus maiestatis Filius hominis & homo est: & Filius hominis, Deus est maiestatis, & homo Deus. Et quicquid deitatis est, habet homo filius hominis, & quicquid humanitatis est, habet dominus maiestatis. Beatum Petrum audiamus dicentem, Christum passum carne, non deitate, quũ tamen ipsa deitas totum suum faciat, quicquid caro perpessa est, sicut & filius hominis suũ habet totũ quicquid est Dei, & sub vna persona meritò vnus atque idem dicitur pati, quicquid Deus homo patitur. Sicut vnus idémque virtutes operatur, quicquid homo Deus operatur.* Item, *Ea dignatione, qua suscepit hominem, eúmque sibi vniuit, suum facit, quicquid est hominis, quia homini vicissim tribuit, quicquid est Dei.* Hánc q; regulam catholicæ & orthodoxæ fidei, ex diuinis Scripturæ fontibus acceptam, ab omnibus catholicæ ecclesiæ patribus ad sua vsque tempora transmissam, constanter asserit Gelasius.

Maiestatis & diuinitatis per essentiam.

Communicatio proprietatum similiter fit in vtraque natura.

Caro & ea quæ carnis sunt, Verbi sunt propria.

Cõsensus catholicæ & orthodoxæ fidei.

Eadem verò sic docet Fulgentius: *In vnitate personæ hominis Dei inconfusa veritate, sicut Christus Deus in homine nomen hominis accepit, sic idem homo Christus in Deo, vocabulum Deitatis accepit.* Item, *Vnus idémque Christus est, qui quod humanum est, habet Deus, in veritate humanæ, & quod diuinum est, habet homo, in veritate diuinæ naturæ.* Item, *In Christo vnigenito Dei filio, personam non diuidunt propria naturarum: neque vnitas personæ potest vtriusque naturæ propria confundere vel auferre.* Hæc de idiomatum communicatione grauiter & eruditè in primis Fulgentius, quam hinc apparet intelligendam esse de vtriusque naturæ proprietatibus, similiter & eodem modo: idque respectu & in veritate cuiusque naturæ, non autem in proprietate alteri realiter communicata. Sic homo est Deus, & est omnipotens: vtrumque eodem modo, in veritate diuinæ substantiæ, nõ in reali naturæ, vel proprietatum facta communicatione.

Fulgen. lib. 3. ad Trasimundum.

Vnio nomina naturarum communia facit vtrinque.

Lib. de incarnat. & grat. cap. 11.

Sicut naturæ verè cõpetunt & personæ, ita & proprietates in cuiusque naturæ veritate.

Hæc vsitata Ecclesiæ doctrina, propter sui temporis (quales & hodie non paucos habet) aduersarios, quinque libris prolixè defensa est à Vigilio Martyre, qui

Vigilius Martyr lib. 2. cõtra Eutychem. Vixit circiter annũ 500.

qui planè cõsentiente sententia inter alia sic scribit, *Vnus est Christus, idem Deus idémque homo, habens in* " *verbis & gestis vnum quod humanitatis, aliud, quod pro-* " *prie divinitatis eius naturæ conueniat, licet vtrumq; simul* " *ad vnam eius personam vel substantiam pertineat.* Item, " *Quicquid est proprium Verbi, commune est cum carne. Et* " *quicquid est proprium carnis, commune est cum Verbo: quia* " *Verbum & caro, vnus est Christus, & vna est persona.* " Lib.4.

Item, *Vnde verus erit Deus, & verus homo, nisi per veri-* Lib.5.
tatem & proprietatem vtriusque naturæ? Item, *Impium* "
& sacrilegum est, ea quæ sunt propria carnis Christi ad na-
turæ Verbi proprietatem referre: & quæ sunt propria Verbi,
proprietati naturæ carnis adscribere. Cõstat itaq; ex his, per idiomatum communicationem, tam ipsas naturas, quàm earum proprietates, simili modo de se mutuò in concreto dici: ídque hac vna de causa, quia quum Christus sit homo, non in humanæ naturæ propria, sed in æterna Verbi persona, ideò Deus homo, & Homo Deus est, & omnes vtriusque naturæ proprietates sunt ipsius personæ.

Naturæ proprietates in abstracto non cõmunicant.

Vera ratio communicationis Idiomatũ.

Proinde qui vnionem personalem in reali idiomatum communicatione constituunt, illis ex consequenti nec verè Deus nec homo est Christus. Primò non Deus, tum quòd extra hanc communicationem & effusionem diuinarum proprietatum, qua velut propria differentia personalem vnionem constare isti docent, Diuinitatem Verbi, nõ aliter essentia sua esse & habitare faciunt in Petro, quàm in homine suscepto, ex quo consequitur Christum per hanc diuinitatis inhabitationem, non magis esse Deum, quàm Petrum: tum quòd hæc ipsa proprietatum communicatio non sit diuinitas Verbi in essentia, sed quædam diuinitatis participatio in creatura, secundum quam ne ipsum quidem filium Dei λόγον verè Deum dici posse contra Arrium multis contendit Cyrillus. Hinc igitur, nec per inhabitationem essentiæ, nec per communicationem diuinarũ proprietatum, rectè & congruenter Deipara dici posset Maria, quum tamen contra Nestorium synodus Ephesina rectè definiat, Emanuelem esse Deum

Ex Vbiquistarum dogmate efficitur Christum non esse Deum, duntaxat diuinum.

I.

Iacob. Andr. in protocol. Hetdelberg. fol. 9. Thesi. Tubing. 24.

II.

Iacobus Andr. dicto protocol. fo. 197. 247. & 271.

Cyrill. lib. 4. cap. 18. in Ioan. lib. 4. Thesaur. cap. 10.

Cyrill. in Apolog. & Anathemat. 1.

Sic homo Deus est per vnionẽ, sicut Deus est ex Virgine natus.

secundum veritatem, & propter hoc sanctam ipsius matrem esse Dei genitricem. Quoniam verò Vnigenitus Deus Verbũ, ex Maria virgine secundum carnem dicitur natus, eóque modo per vnionem personalem Christus homo verè est Deus quo Maria est & dicitur Dei genitrix: &, vt Athanasius ait, *Filius Dei Verbum, accepta serui forma, est & dicitur fructus ventris Mariæ*, consequens hinc est ex istorum dogmate, sicut homo Christus, non est verè Deus Emanuel, Verbum & vnigenitus filius Patris, neque per inhabitationem essentiæ ipsius cum Petro communem, neque per communicationem diuinarum proprietatum: ita quoque veram vnionis personalis rationem in his constitui nec posse nec debere. Et hoc est quod Cyrillus ait, *Non sufficit ad vnionem veram, dicere coniunctum esse Deo hominem, dignitatis & æqualitatis authoritate*. Adhæc si vera atque propria personalis vnionis ratio, est realis proprietatum effusio, vt isti loquuntur, concedendum erit, aut omnes in vniuersum diuinæ naturæ proprietates, quibus potissimùm verè & natura Deus est, & à creatura discernitur, vt æternum, infinitum, omnipotentẽ & immortalem esse, hac vnionis definitione communicari: aut hominem Christum, per vnionem personalem, non esse verè & essentia Deum. Sic etiam Deus Verbum, per hãc personalis vnionis rationem, verè dici non poterit Homo. Præterea & illud expendẽdum est, tum diuinitatis in carne præsentiã rum ipsarum diuinarum proprietatum communicationem non ipsius tantùm Verbi propriam, sed etiam tori Trinitati communem esse. Ea enim quæ non relatè, sed absolutè in diuinis dicuntur, singulis personis in trinitate conueniunt. Itaque ipsa quoque incarnatio Verbi, quatenus humanæ naturæ creationem, eiusque assumptionis actum designat, totius Trinitatis commune est & inseparabile opus, quamuis terminus huius assumptionis in vnitatem & singularitatem personæ, in qua subsistit, Verbi tantùm sit proprius. Rectè enim Augustinus: *Quum vna sit Deitas, impleuit quidẽ carnẽ Christi & Pater & Spiritus sanctus, sed Ma-*

Dial. 4. de Trinit.

III.

De recta fide ad Reginas lib. 2.

Ex Vbiquistarũ dogmate Christus non magis est Filius quàm Pater & Spiritus sanctus. 4

August. Epist. ad Dard. & 102. & cõtra sermo. Arria. cap. 11. & sermo. 63. de Verbis Domini, & de fide ad Petrum cap. 2.
Thomas 3. part. sum. quæst. 3. art. 4. & 5. Bonau. li. 3. dist. 1. quæst. 2. Gabriel. Biel. lib. 3. q. 1. dist. 1 Corol. ar. 4. & 5. & dist. 6. q. 2. concl. 4.

Sermo 3. Domin. aduent. Domini.

ſed Maieſtate, non ſuſceptione. Itaque hoc modo vnionis naturæ diuinæ cum humana, quo ad genus & differentiam ipſius, Chriſtus homo, non magis dici poſſet Deus Verbum, quàm Deus Pater, & Spiritus ſanctus. Nec valet iſta eorum exceptio, communicationem deitatis, omnipotentiæ, & ſapientiæ à Verbo & Filio Dei in humanam naturam eſſe quaſi genitæ, qualis non eſt Patris & Spiritus S. Nam hac relatione, ipſæ quidem inter ſe perſonæ in vnitate eſſentiæ diſcernuntur, verùm quod ad actiones & effectiones in creaturis attinet, ſicut vna totius Trinitatis natura, ita quoque eadem eſt & indiuiſa operatio. Hinc Auguſtinus ait, *Ad creaturam Pater, Filius & Spiritus Sanctus, ſunt vnum principium.* Et Scholaſtici dicunt: *Omnia Chriſto homini communicata, indiuiſa ſunt trinitatis opera.* Et non inerudite ſcribit Thomas:

„ *Aſſumptio, quæ fit quadam participatione diuinæ naturæ,*
„ *ſecundum aßimilationem bonitatis illius, vt 2. Petri 1. di-*
„ *citur, vt diuinæ fiatis conſortes naturæ, communis eſt ex a-*
„ *quo tribus perſonis, ex parte principij & ex parte termini:*
„ *Aſſumptio vero, quæ fit per gratiam vnionis, communis eſt*
„ *quidem ex parte principij, non autem ex parte termini.*

Aliam igitur veram perſonalis vnionis rationem eſſe oportet, quàm iſtam maximi erroris opinione recēter ab iſtis introductam, realem videlicet diuinarum proprietatum communicationem. Nam vt per eam omnia dicuntur homini Chriſto data eſſe à patre: ſic hac ipſa datione non magis propriè conſtare poteſt vnio humanæ naturæ cum Deo Verbo, quam cum Deo patre.

Excepti. vbiq.

Iacob. Andr. contra Bezam fol. 49.

Lib. 5. de Trinitate.

Aſſumptio per gratiã vnionis.

Matth. 28.

Sed & ex eadem Vbiquiſtarum doctrina, non fuerit homo Chriſtus. ſiquidem veri corporis humani modus & proprietas eſt, naturæ ſuæ finibus, & loci ſpatio contineri, vt paſſim Auguſtinus, Cyrillus & patres docent, atque tale etiamnum corpus Chriſti, in ipſa ad Patris dexteram ſeſſione, credendum eſſe ex Eccleſiæ temporis ſui fide & confeſſione conſtanter docet Theodoretus. Sublata igitur hac proprietate, quæ à tota humanæ naturæ ſpecie, abſq; deſtructione ipſius auferri non poſſet, deſinet per commu

Hoc Vbiquiſtarũ dogma tollit ex conſequenti veritatem carnis Chriſti.

Veritas humanæ Chriſti naturæ eſt vt noſtræ.

nicatam hãc humanæ naturæ omnimaiestatem & præsentiam, qua tota vbique tota in omnibus & extra omnia esse dicitur, habere propriam humani generis formam, substãtiam & speciem, & consequenter desinet Christus esse homo: *Hæc enim est*, vt Augustinus ait, *naturam & veritatem corporis auferre. Quia corpus est aliqua substantia, & quantitas eius est in magnitudine molis eius, in qua distãtibus partibus, quæ simul esse non possunt, sua quæque spatia locorum tenent, nec est in singulus partibus tota vel tanta. Aut enim omnes corporis partes, carnem, ossa, neruos & sanguinem, infinita immensitate vbique esse, atque ita nihil amplius in eo humanum superesse: aut si partes & membra ipsius quantitate & situ loci in corpore finita sunt, ipsum quoque totum corpus, secundum creati & assumpti corporis veritatem & formam, similiter finitum esse fateri necessum est. Cuius enim pars mensura finitur*, ait idem Augustinus, *eius quoque corpus finitum esse oportet.*

Ad Dardanum.

Veritas & natura corporis. Lucæ. 24.

Lib. 22. de ciuit. Dei cap. 18. & Epist. ad Dardanum.

Vbiquistarũ dogma cum Nestorio diuidit Christi personam.

Videri tamen volunt, qui hanc realem idiomatũ communicationem, in Ecclesiam nimis audacter inuexerunt, vnitatem personæ Christi, aduersus Nestorianam separationem tueri. Verùm si rectè res expendatur, vterque tam Nestorii quàm Euthychetis error, in hanc personalis vnionis explicationem concurrit. Genus enim vnionis eius, quam docẽt (sicut disertè scribunt) est inhabitatio diuinitatis per essentiam, qualis est in Petro & sanctis, quod cum Nestoriana separatione prorsus consentit, quia manifestè indicat duas hypostases, diuinã & humanam, aliam ab æterno, aliam ex tempore, quas etiam Nestorius suo modo inuicem vnitas esse docebat in Christo. Primò secũdum inhabitationem Verbi velut in suo templo: Secundò per vnitatem affectus, quatenus videlicet voluntas hominis Christi, semper conformis fuit voluntati diuinæ: Tertiò, operatione, quia homo susceptus esset Verbi Dei atque diuinarum actionum instrumentum: Quartò, secundum æqualitatem dignitatis & authoritatis, quatenus omnis honor, qui exhibetur filio Dei, etiam relatiuè simul exhibetur filio hominis, propter eam, quã habet cum

Vnio Nestoriana. Thomas 3. parte sum. q. 2. &. 6. & q. 16. art. 1.

I.

II.

III.

IIII.

Hæc vnio esset coniunctio hypostasis diuinæ cum humana secundum qualitates accidentales.

filio

V.

sim Dei inseparabilem coniunctionem: Quintò secundum æquiuocationem qua homo dicitur Deus seu Dei filius. Verùm hisce modis omnibus, Vniõ suo genere est accidentalis, in qua falsò præsupponentur in Christo duæ hypostaseis, vt in Petro, in quo humanitas ipsius propriam habet suæ naturæ personalem subsistentiam præter diuinitatis inhabitationem, quum alia sit ratio humanæ naturæ Christi, vtpote quæ hypostasim & subsistentiam suam habeat, non in sese, sed in Verbo, hoc est quatenus personæ Verbi propria facta est, &, vt Augustinus ait, *temporalis illa substantia carnis, in æternam diuinitatis personam sit assumpta*. Non igitur conueniunt in genere vnionis, inhabitatio Dei Verbi, qualis est in Petro, & quę in homine susceptо. *Verbum enim* (vt ait Ignatius) *Caro factum est, & perfectus homo, non autẽ in homine, quasi in suo domicilio tantùm habitat*. Et longe aliud est, Verbum verè hominem esse seu fieri, & aliud simpliciter in homine esse & habitare. Nam sic non rectè dicitur, Homo per vnionem factus est Deus, sicut nec rectè dicitur, Filius Dei assumpsit seu implet Mariæ filium, sed *Verbum* (vt ait Cyrillus) *secũdum hypostasim factum est caro*, hoc est, personę suæ propriam fecit carnem. Sic enim erit & Deus verè, alioquin vt aduersus Nestorium docet, Homo Theophorus vel Deiferus, & non verè & natura Deus esset dicendus.

Cyrill. de Incar. Vnige. cap. vlt. & in explicat. symbol. Niceni & defens. Anathemat. 2.

De fide ad Petrũ. cap. 17. & Athanas. dialog. 4. de Trinit.

Epist. 5. Gregor. Nazian. dialog. 5. contra Apollinar.

Fulgent. de incarnat. cap. 6.

Thom. 3. part. sum. q. 16. art. 6.

Lib. 1. ad Regin. de recta fide. Maxent. dial. 1. & 2. contra Nestorianos.

Ad Euoptium defens. Anathem. 5. & de Incar. Vnige. cap. 11. 12. 16. 22. & 23.

Deinde quòd ad differentiam personalis in Christo vnionis, realem videlicet istam idiomatum communicationem & effusionem attinet, qua hominem Christum propriè diuinitati vnitum & à Petro discerni, atque hinc Deum esse Vbiquistæ dicunt, quemadmodum hac vnionis ratione, discrimẽ proprietatum in naturis tollitur, ac per hoc naturarum æqualitas & vna vtriusque operatio constituitur: ita quoque ipsemet naturæ communicatis inter se proprietatibus confunduntur, quod Eutychetis sententiæ est vicinum, & in synodo Constantinopolitana sexta erroris condemnatum. Erant enim ex Eutychianis, vt est apud Theodoretum & Vigilium, qui in Christo Deum & hominem inconuertibili sub-

Vbiquistarum dogma proprietates naturarũ cũ Eutychianis, itémque proprietates operationum cum Monothelitis confundit.

Thesi Tubingen. 26.

Lib. 4. contra Eutych. & Leo in Epist. ad Flauianum.

ſtantia fatebãtur, ſed proprietates & actiones vtrinque communes eſſe effectas docebant, quaſi ab vna & communi natura progrederentur, & ideo putabant ſi proprietates & actiones ſecundum aliud & aliud pro inconfuſa naturarum diuerſitate diſcernerentur, vnionem perſonalem per hoc ſolui, quòd etiam hodie paſſim inculcant Vbiquiſtæ.

Vera perſonalis vnionis ratio, non eſt realis proprietatum communicatio.

Quo magis verò conſtet hac reali proprietatum cõmunicatione perſonalẽ vnionem non rectè deſcribi irrefutabili ratione hoc probatur ex dicto Chriſti, Nemo aſcẽdit in cælũ niſi qui de cælo deſcendit, Filius hominis qui eſt in cælo, item ex eo quòd Paulus Dominũ gloriæ dicit crucifixum. Ex iſtis enim Scripturæ dictis omnes Patres vnitatem perſonæ in vtraque natura cognoſcendã eſſe oſtendunt. *Neque moueat* (ait ſæpe Auguſtinus) *quomodo Chriſtus, ſecundũ quod homo eſt, deſcenderit de cælo, quum de matre, quæ in terris hic erat, factus ſit homo. Hoc enim propter vnitatem perſonæ dicitur. Quoniam igitur vna perſona eſt Chriſtus Deus & homo, propter hanc vnitatẽ perſonæ in vtraque natura intelligendam, & filius hominis dicitur de cælo deſcendiſſe, & filius Dei dicitur crucifixus & ſepultus: quamuis hoc non in diuinitate ipſa, qua eſt Vnigenitus Patri coæternus, ſed in natura humana ſit infirmitate perpeſſus.*

Lib. 3. cont. Maxi. cap. 20.
Epiſtol. ad Darda. & tract. 27. & 111. in Ioã. & ſic etiam Beda.

Quum itaque manifeſtum ſit, hæc verè & propriè de naturis non dici, neque iis realiter competere aut tribui poſſe, ſed tantùm (vt Nazianzenus ait) per communicationem idiomatum intelligenda (videlicet hoc modo, Filius hominis erat in cælo, quum loqueretur in terra, quia non ſeorſim & in alterius, à Deo Verbo hominis ſed in ipſius Verbi perſona Filius eſt hominis, quo ſenſu etiam de cælo dicitur deſcendiſſe, non ſecundum naturæ veritatem, ſed perſonæ in qua filius eſt hominis, vnitatem, hoc eſt quia perſona quæ eſt Filius hominis de cælo deſcendit & eſt in cælo,) conſectaneum hinc eſt aliter humanam naturam in Chriſto, perſonali vnione cum diuina quàm hac reali proprietatum communicatione copulari & vniri, neque poſſe hanc neceſſariò ex illa inferri.

Cyrill. de Incar. Vnigeniti cap. 26. & Epiſt. ad Ioan. Antioche. Apud Theod. dial. 1. & dial. 5. contra Apollinar.

Quomodo Chriſtus filius ſit hominis.

Quid

Quid quòd hæc probè ipſi quoque Scholaſtici & intellexerunt & explicarunt? Nam & ipſi quoque diſputant de omnipotentia & omniſcientia, An aſſumpta humanitas Chriſti in ea communicet cum natura diuina aſſumente. Obiiciunt autem pro dubitationis cauſa illud quod Chriſtus ait, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Item illud Auguſtini, *Quicquid conuenit Filio Dei per naturam, conuenit Filio hominis per gratiam.* Deinde reſpondent in myſterio incarnationis vnionem duarum naturarum ita factam intelligi vt ſalua manſerit cuiuſque inconfuſæ naturæ diſtincta proprietas, retinente vtraque videlicet natura id quod ſibi eſt proprium. Manſiſſe igitur humanam naturam intra fines & conditiones creaturæ, ideoque infinitæ ſcientiæ diuinæ non eſſe capacem niſi per modum excellentiſſimæ cuiuſdam cognitionis præ cæteris creaturis: non autem quòd tota diuinitatis virtus ſit humana natura quaſi comprehenſa. Omnipotentiam quoque quia incõmunicabilis diuinæ naturæ proprietas eſt, docent non poſſe creaturę competere, cuius vt natura ita & potentia, virtus & actio eſt finita. Idem definiunt de vbiquitate ſeu omnipræſentia carnis, quã carnẽ in ipſa vnione dicunt immutabili proprietate ſubſtantiæ ſuæ manſiſſe circumſcriptam. Addunt iſtis non obſtare quod Chriſtus ait, Datam ſibi omnem poteſtatem in cęlo & in terra. Id enim verum eſſe ratione vnionis in qua humanitas Chriſti non habeat aliam hypoſtaſim ſeu ſubſiſtẽtiam quàm in perſona Verbi: vnde eodem modo quo datũ eſt homini vt ſit Deus Verbum, in ipſa videlicet perſona Verbi, in qua geſtatur & ſuſtentatur: ita etiam datum eſſe ei vt ſit & dicatur omnipotens in Verbo, non quòd alia ſit hominis & alia filii Dei omnipotentia, alia videlicet communicans, & alia communicata ſicut nec alia eſt diuinitas, ſed quia vna eadémque eſt perſona Dei & hominis. Sic dici & intelligi poſſe, Omnia quæ Filius Dei habuit ab æterno per naturã, data eſſe & cõpetere Filio hominis, ex tempore & per gratiam vnionis, per quam quæcunque dicuntur de filio Dei

Scholaſticorum de cõmunicatione idiomatum ſententia.

Thomas 3. part. ſummæ quæſt. 10. & quæſ. 13. artic. 1. & 2.

Argumenta Vbiquiſtarum.

Matth. 28.

Lib. 1. de Trinitate.

Omniſcientia.

Auguſt. epiſt. 3.

Omnipotentia.

Thom. 1. ſent. diſt. 37. quæſt. 3. Art. 2. & lib. 3. diſt. 22.

Idem Bonauen. lib. 3. diſt. 14. in prin. lib. 4. diſt. 1. quæſt. 2.

» ſecundum diuinam naturam, etiam dicuntur de fi-
» lio hominis, propter perſonæ & ſuppoſiti vnitatem,
» quomodo dici poſſet, Filius hominis eſt creator.

Hæc igitur ita definit Thomas, cui cõſentit Bonauẽtura inter præcipuos Scholaſticæ Theologiæ interpretes, inquiens, *Quemadmodũ impoſsibile eſt, vt anima Chriſti, quãuis vnita ſit Verbo, ſit vbicunque eſt Verbũ, alioqui eſſet immenſa, & exiſtentia ipſius adæquaretur exiſtentiæ Verbi: ita quoque impoſsibile eſt, vt intellectus animæ Chriſti, ſimul omnia cognoſcat actu, quæ Verbum, quamuis ei perſonaliter vniatur.* Item, *Quòd vbique ſit Chriſtus, hæc eſt diuinæ naturæ proprietas, quæ vni atque ſoli Deo cõpetit, & nulli prorſus creaturæ, ac ne ipſi quidem humanæ naturæ Chriſti in vnitate perſonæ realiter communicari poſsit.* Idem affirmat etiam de omnipotentia, non poſſe eam animæ Chriſti aliter communicari, quàm ſicut nomen & excellentia diuinitatis ei communicatur, hoc eſt per communicationem idiomatum, quæ originem habet ex vnione perſonali, per quam ſicut dicere poſſumus, Homo eſt Deus: ita quoque eodem ſenſu dici poſſe, Homo eſt omnipotens. Sed vt diuinitatis excellentia nulli creaturæ omnino communicatur, quaſi forma ſeu proprietas quædam ſubſtantialiter vel accidentaliter ei inhærens, ſic etiam nec omnipotentiam communicari. Opponitur in contrarium quod Paulus ait, Datum eſſe Chriſto nomen ſuper omne nomen, idque videri non ſinere datum: ergo datam eſſe ei virtutem ſuper omnem virtutem, & poteſtatẽ ſuper omnem poteſtatem. Reſponder Bonauentura hanc nominis dationem intelligendam eſſe per gratiam vnionis, & communicationem idiomatum, vt videlicet homo ille diceretur Deus & Dei filius, idque ratione perſonæ Verbi, in qua humanitas Chriſti ſubſiſtentiam ſuam habet, & velut inſita ſuſtẽtatur: per quam gratiam vnionis, nihilominus ſaluæ ſint & maneant vtriuſq; naturæ proprietates: Neque enim per eam eleuari humanam naturam vltra terminos creaturę, aut nomen & gloriam diuinitatis ei aliter communicari, niſi quatenus in diuinæ naturæ hypoſtaſi vna

eſt cum

Bonauẽtura lib. 3. ſent. diſt. 14. artic. 2. q. 3. & Art 3. q. 3.

Lib. 1. ſent. diſt. 37. art. 2. q. 1.

Vt naturæ ita proprietates communicantur in concreto.

obiect. Argum. Vbiquiſtarũ à Bonauentura refutatum.

Nomen ſuper omne nomen.

Lib. 3. diſt. 1. art. 2. q. 1. & li. 4. diſt. 5. art. 2. q. 2.

eſt vnum Deo perſona. Itaque idem diſputans de hac gratia vnionis, an fiat mediante aliquo habitu, ſeu per communicationem donorum gratiæ in humana natura, planè negat gratiam vnionis, per modum cauſæ & principii conſiſtere in collatione donorum diuinæ naturæ, ſed in ſuſtentatione ipſius corporis aſſumpti, in perſona diuina, tanquam in ſua propria hypoſtaſi. Et quamuis fateatur congruum ſeu conueniens eſſe, humanæ Chriſti naturæ, eiuſmodi dona in hac vnione conferri, per quæ conformis ſit imagini filii Dei, glorificata & exaltata in gratia ſuper omnes animas beatorum: nequaquam concedi vult, hanc eſſe ipſarum diuinarum proprietatũ communicationem, qua propriè conſtet ipſa vnionis gratia, ſed eſſe creatam quandam cõformitatem cum Deo. Diſtinguit igitur hunc modũ vnionis, per habitum infuſum, ſeu communicationem donorum gratiæ, ab ipſa vnione perſonali. Ille enim modus tantùm facit hominem conformem cum Deo, & omnes Trinitatis perſonas ex æquo reſpicit: vnio autem facit hominem eſſe Deum & Dei filium, quod quidem nulla collatione alicuius habitus vel doni creati fieri poteſt, ſed ideo tantùm quia ipſa perſona Verbi, quæ eſt hypoſtaſis diuinæ naturæ, per naturam ſeſe facit hypoſtaſim humanæ naturæ, per vnionis gratiam. Itaque quia hoc totũ Deus ex gratuita ſua miſericordia facit, maximam gratiam eſſe dicit in hac vnione diuinæ naturæ cum humana, non quòd hæc vnio compleatur, aut perfectionis ſuæ rationem habeat, à creata donorum influentia & conformitate, ſed à gratuita Dei bonitate. Hæc Bonauentura, cuius ſcripta in hoc argumento qui leget, mirabitur quòd tam inſcitè, ne dicam mala fide pro teſte & patrono erroris ſui ſit ab Vbiquiſtis aduocatus.

Lib. 3. diſt. 2. art. 2. q. 1. & art. 3. q. 2.

Diſt. 13. art. 1. q. 2.

Diſt. 13. & 14. art. 1. q. 1.

Diſt. 4. art. 1. q. 3.

Vera perſonalis vnionis ratio.

Cur vnionis gratia dicatur.

Brentius pro ſe citat Bonauent.

Idem planè ſentit Gabriel Biel, qui naturam humanam Chriſti, ad ſummam perfectionem creaturæ poſſibilem, per communicationem donorũ gratiæ aſſumptam & eleuatam eſſe ait: ſed tamen omniſcientiam & omnipotentiam, quatenus diuinæ naturæ & infinitæ potentiæ proprietates ſunt, non ali-

Gabr. Biel. lib. 3. ſent. diſt. 13. & 14.

ter competere homini Christo, quàm per communi cationem idiomatum, ratione personæ, vt reliquas naturæ diuinæ proprietates: ipsi autem humanæ naturæ non tribui. Istas enim propositiones quæ secundum communicationem idiomatum in concreto dicuntur, non intelligi per inesse naturę, vt homo Deus est omnipotens, non per omnipotentiam inhærẽtem & communicatam humanæ naturæ. Quæcunque enim ei, inquit, per aliquam participationem ita communicantur vnitæ & assumptæ, talia sunt, vt etiam non vnitæ & separatæ possent communicari, tum quia talis communicatio, est aliquid creatum & finitæ potentiæ, tum etiam quia nihil ei hoc modo communicari possit, nisi cuius est capax, secundũ potentiam Dei ordinatam. Atqui capacitas humanæ naturæ, ad recipiendam in se creatam cum Deo conformitatem, non tam ex ipsa vnionis gratia, quàm ex specifica sua natura est consideranda. Et ideo per talem communicationem, Christus homo tantùm excellẽtiori gradu donorum ab aliis sanctis & Angelis distat & discernitur. Nõ igitur hac communicatione reali donorum gratiæ vera personalis vnionis ratio potest constare.

Dist. 7. Alia est ratio concreti, alia naturæ ipsius in abstracto.

Lib. 3. dist. 1. q. 1 & lib. 4. dist. 5. circa fi. Cyril. in Apol. & ad Euopt. 9. Anathem. Apollinar. apud Theodor. dial. 2.

Faciunt vt hinc apparet Scholastici duplicem vnionis gratiam, vnam qua ipsa personalis vnio prior constat & est definita, per quam fieri dicunt, vt homo ille in personalem cum Verbo subsistentiam assumptus, temporaliter ex Virgine natus, verè & realiter sit vnigenitus patris, natus ex substantia ipsius ab omni æternitate, qua eleuatione maior excellentia in creatura non possit cogitari. De hac vnionis gratia, quæ non est de genere gratiæ habitualis, intelligunt illud Augustini: *Quicquid conuenit filio Dei per naturam, conuenit filio hominis per gratiam.* Item, *In rebus temporaliter ortis, illa summa gratia est, quòd homo in vnitate personæ coniunctus est Deo.* Item, *Eadem gratia fit ab initio fidei suæ quilibet homo Christianus, qua gratia Homo ille ab initio suo factus est Christus. Per hãc vnionis gratiam, Filius hominis* (vt ait Fulgentius) *nascitur ex Deo.* Alteram verò dicunt esse creatum in humana

Thom. Aquin. 3. part. q. 7. art. 11. & 13. Bonauent. lib. 3. dist. 3. q. 2. art. 3. & distin. 13. Gabriel dist. 1. q. 1. & 2.

Nb. Duplex vnionis gratia.

Augustin. Epist. ad Dardanum.

Augustin. lib. de fide ad Petrum cap. 2. lib. 13. cap. 19. de Trinit. lib. 3. ca. 21 contra Maxim. & de prædest. sanct. cap. 17. & sermo. 8. de verb. Apost.

Fulgentius lib 3. ad Trasimund.

natura

natura donum gratiæ, quo homo Christus excellentem ſuper alias creaturas rationales omnes, cũ Deo conformitatem habeat, eíque perfectiſſima aſsimilatione, quæ eſſe aut intelligi poſsit in creatura, ſit conformatus. Hanc velut diſpoſitionem quandam eſſe dicunt in natura aſſumpta tanquam in ſubiecto vnibili, ad ipſam perſonalem in Verbo vnionẽ, quæ ſicut hominem Deum, & Deum hominem, ita quoque facit mutuam eſſe proprietatum communicationem in perſona non in natura. cc cc cc cc

Auguſt. lib. 1. de Trin. cap. 13.

Vt autem rectè percipiatur & explicetur idiomatum ſeu proprietatum communicatio, monet Thomas attendenda eſſe duo. Primum quid ſit illud, de quo aliquid in propoſitione prædicatur. Deinde ſecundum quid de illo prædicetur. Primum dicit eſſe hypoſtaſim in qua vtraque natura ſubſiſtit, & quæ vtriuſque naturæ nomine ſupponitur. Siue enim homo, ſiue Deus dicatur, ſemper ſupponitur hypoſtaſis diuinæ & humanæ naturæ: atque ideo etiam de homine dici poſſunt ea quæ ſunt diuinæ naturæ, tanquam de hypoſtaſi diuinæ naturæ, quum humanæ naturæ nulla ſit propria hypoſtaſis & ſubſiſtentia, & contra de Deo dici poſſunt quæ ſunt humanæ naturæ, tanquam de hypoſtaſi humanæ naturæ. De quolibet enim ſuppoſito alicuius naturæ, verè & propriè prædicari poteſt nomen ſignificans illam naturam in cõcreto. Hinc vulgo dicunt Scholaſtici, *Mutua idiomatum communicatio prouenit ex vera identitate ſubiecti & prædicati.* Quatenus autem vel ſecundũ quid de Deo vel homine quippiam dicatur, vult diſtingui proprietatẽ naturarũ, vt ea quæ ſunt diuinæ naturæ dicantur de Chriſto ſecundũ diuinam, & ea quæ humanæ, ſecundum humanam naturam: non poſſe verò quæ vnius naturę ſunt propria, de alia prędicari, quatenus in abſtracto ſignificatur. Et quamuis ſint aliqua diuinæ naturæ, quæ etiam competunt humanæ, vt cognoſcere futura, & habere ſaluificam virtutem, tamen non dici de humana natura, quatenus eſſentialiter competunt diuinæ, ſed quatenus participatione in humanam naturam deriuantur.

Vera ratio & intelligentia cõmunicationis idiomatum.

Thomas dic. q. 16. art. 1. 2. 4. & 5.

Subiectum in propoſitione cõmunicationis idiomatũ, eſt perſona non natura.

De prædicato.

Propria naturarũ de ſe inuicem non prædicantur in abſtracto.

Ea verò quæ ab humana natura participari non poſſunt: vt increatum aut omnipotentẽ eſſe, nullo quoque modo de humana natura prædicari: quemadmodum nec quæ humanæ naturæ ſunt, de diuina dici poſſunt, quum diuina natura nihil participatione ab humana natura recipiat.

Hæc Thomas & Scholaſtici, quæ ideo recenſenda putaui, vt intelligatur quàm recta & ingenua ſint Vbiquiſtarum iudicia, qui etſi palàm fateantur, in explicando trinitatis & perſonalis vnionis myſterio non modo piè, ſed & eruditè multa pro aſſerẽda veritate à Shcolaſticis eſſe elaborata: tamen quum hæc ita, aut non diſſimiliter à nobis, ex perpetuo veteris Eccleſiæ conſenſu hodie docentur, illa tanquã Neſtoriana reprehendunt, temere profectò nimis, ipſorum etiam Papiſtarũ teſtimonio & cõfeſsione, quos Neſtorianæ impietatis nemo hactenus bona fide auſus eſt accuſare. Cæterùm viderint quid reſponſuri ſint Scholaſticis, qui non modò de Maieſtate hominis Chriſti, quam habet in vnione perſonali (& quæ ab Vbiquiſtis non ipſamet diuinitatis natura in Filio, ſed communicatæ deitatis gratia & donum eſſe dicitur, quo fiat vt homo Chriſtus, etiam qua homo, æqualis ſit Deo) longè aliter, vt ex ſupradictis apparet, & multo quoque ſentiunt melius, verùm etiam argumentis ipſorum nominatim & ex profeſſo reſponderunt, ad excludendum errorem quem hinc naſci poſſe præſenſerunt.

Iacob. And. contra Bezam fol. 52. & Luther. prouocat ad Scholaſt. 3. cap. 10.

Iacob. Andr. in protocoll. Heidelberg. folio 164. & 271.

Argum. Vbiquiſtarũ. I.

Sed videamus quomodo à veteris Eccleſiæ patribus intellecta & explicata ſint ea, quæ ab Vbiquiſtis adducuntur. *Data eſt*, inquiunt, *Chriſto omnis poteſtas in cælo & in terra.* Item, *Pater omne iudicium dedit Filio.* Item, *Datum eſt ei nomen ſuper omne nomen*: quæ de humanitate Chriſti & in eam effuſa Deitatis & omniũ diuinarum proprietatum quadam participatione, intelligenda eſſe contendunt.

At verò quum hæc ita ſint Chriſto à Patre data, ſi per hanc dationem realis, vt iſti volunt, diuinarum proprietatum effuſio in humanam naturam ſignificatur, atque hinc propriè perſonalis vnio conſtat & efficitur,

efficitur: quomodo non eadem ratione qua Verbo Dei filio, etiam Patri vnitus esse dicetur Christus homo? Nam si quod alibi ait, *sicut misit me viuens Pater, ego viuo propter Patrem*, &, *Qui manducat me, viuet propter me*, de humana Christi natura intelligatur per communicationem vitæ in vnione qua caro & humanitas Christi in se facta sit vita & viuifica, an non sequetur, carnem vnitam esse Deo Patri propter quem viuit? Deinde quòd omnia Christo à Patre dicuntur data, hoc passim intelligunt Patres, per dispensationem & de ipsa Christi exinanitione in carne. Quemadmodum enim per assumptionem formæ serui exinanitus est in plenitudine propriæ naturæ, secundum quam verè est Deus, & ex muliere natus est Filius hominis, qui ab æterno natus est Filius Dei ex Patre, pauper factus quum esset dives: ita rursus ei dari & accipi ab eo dicuntur tanquam in carne facto & manifestato, quæ ab æterno habuit vt Deus. Sic Cyrillus, *Plenum secundum naturam & ex omni parte perfectum Deum Verbum, qui ex sua plenitudine bona creaturis distribuit, exinanitum dicimus, nihil in propria tamen natura mutatum, nec vt aliter se haberet commutatum, nec inferius ex vlla parte factum. Quòd verò factum est caro, humanitatis paupertatem propriam facit. Primùm quia semel homo est factus quamuis remanserit Deus: deinde quòd serui formam accepit qui secundum suam naturam liber est, vtpote Filius, & quum sit gloriæ dominus, gloriam dicitur accipere.* Item, *Vnum est filius cum Patre, identitate essentiæ, quamuis in propria subsistentia sit. Verum quoniam propter nostram salutem à sua dignitate & claritate quasi exiuit (hoc enim significat exinaniuit seipsum) ideò accepit rursus cum carne claritatem & gloriam, quem semper habet vt Deus. Quoniam ergo templum quod à Virgine accepit, quamuis consubstantiale Deo Patri non sit, vnitum tamen ita cum Verbo est, vt vna persona cum eo sit (vnus enim Christus & vnus Filius est etiã homo factus.) Idcirco vnitatẽ cum Deo accepisse dicitur, quòd templum suum, quod à se Deus non est, vnum cum Deo Verbo factum sit. Et vt breuius dicam & clariùs, quod templo suo datum est, sibi datum esse vnigenitus ait,*

Augustſ. contra ſermo. Arria cap. 11. Ioan. 6.

Theſi Tubingẽſi. 19.

Cyrill. in expoſit. ſymboli Niceni & de recta fide ad reginas.

De incar. Vnig. cap. 4.

Exinanitio Chriſti. Leo in Epiſt. ad Flauianum.

Paupertas carnis, propria Verbi, ſicut ipſa caro.

Lib. 11. cap. 27. in Ioan.

Vt exinanitus eſt per diſpenſationem, ita ei viciſsim omnia dari dicuntur per diſpenſationem.

Humanitas Chriſti non eſt Deus ſed vnum cum Deo.

Vnio personalis.

Gloria & claritas vnitatis in Patre data Filio.

De recta fide ad Reginas.

datum, videlicet à Patre per ipsum in spiritu. Non enim aliam habet viam modus vnitatis cum Deo. Intelligitur enim in Christo, vnitate ineffabili, caro sanctificata absque vlla confusione ad vnitatem Verbi ascendere, & per Verbum ad vnitatem Patris, habitudine scilicet quadam, non naturaliter. Hanc igitur (inquit) *claritatẽ & gloriam Pater quam mihi dedisti quæ est vt tecum vnum sim, dedi eis, vt sint vnum sicuti nos vnum sumus.* Item, *Existens in forma & æqualitate Patris Deus Verbum, exinanitus quidem dicitur propter humanitatem, exaltatus verò rursus non in externam dignitatem & qua olim caruerit condescendens, sed rediens ad gloriam & eminentiam sibi implantatam & in ipso semper existentem. Exaltatur enim humanè, quamuis secundum naturam existat altißimus. Factus est enim homo, & hæc est, vt opinor, naturæ conditio & exinanitio quæ dicitur.* Item, *Glorificatur quidem à Patre, non quòd gloria indigeat, quum extra carnem Deus ex Deo intelligatur, sed quoniam erat homo, quasi propriæ naturæ fructum non habens, potentiam operandi efficaciter diuinè accipit quodammodo illam per vnionem & ineffabilem concursum, qui intelligitur Dei Verbi esse cum humanitate.* Item, *Propria quidem omnia Verbi quatenus natum est ex Deo, & domina tur omnibus cum Patre. Accipit autem & hæc secundum humanitatem quando factus est sicut nos.* Item, *Manifestum est, quòd quæ insunt naturæ & propriè Verbo ex Deo patre, seruantur ei iterum, etiam quando apparuit vt homo. Igitur periculosum est audere diuidere. Ad hunc igitur modum intelligi potest, Omnia à patre data Filio, vt ea quæ ab æterno habuit, quatenus Verbum Patris est, iterum accepisse videatur, quatenus Verbum caro factum, & in carne manifestatum est, quomodo sicut esse cepit quod non erat. Ita dici potest accepisse quod non habebat.* Itaq; si hæc Christi dicta ad naturam humanam referantur, non alia ratione omnia dici possunt data esse homini Christo, quàm ipsa Verbi diuinitas ei sit data, hoc est personali vnione iuncta; hanc verò sic essentialiter humanæ naturæ dari, non aliud esset, quàm eam in Deum substantiali mutatione transire & conuerti.

De vera fide ad Theodos. & lib. 10. Thesau. cap. 2.

D. M. Lutherus in posteriora verba Dauidis.

Atque hæc ipse D. Lutherus extra cõtentionem scribens,

ſcribens, non diſsimili interpretatione explicauit. *Chriſtus*, ait, *duas naturas & natiuitates habet in vnitate perſonæ. Secundum primam natiuitatẽ, non temporaliter, ſed ab omni æternitate à Patre accepit æternam potentiam & Deitatem, quam Pater ei totam dedit, vt ipſe eam ab æterno habet. Omnia enim quæcunque pater habet, mea ſunt* ait *Chriſtus*. Item, *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ita quoque Filio dedit habere vitam in ſeipſo. Et ſicut Pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ita quoque Filius quos vult viuificat: quæ omnia de prima & æterna natiuitate Filii ſecundum diuinitatem ſunt dicta. Secundum alteram verò & temporalem hominis natiuitatem, etiam data eſt ei æterna deitatis poteſtas, ſed temporaliter & non ab æterno, quia non vt diuinitas ita quoque humanitas Chriſti ab æterno fuit. Verùm eo ipſo momento, quo diuinitas & humanitas Chriſti in vnitatem perſonæ coniungi cæperunt, homo filius Mariæ, eſt & dicitur omnipotens & æternus Deus cuius eſt æterna poteſtas, qui omnia creauit & ſuſtentat, per cõmunicationem idiomatũ quatenus vna cum Deo perſona & verus Deus eſt. De hac poteſtate loquitur Matthei vndecimo, Omnia mihi data ſunt à Patre. Item, Mathei vltimo, Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Cui mihi? Mihi inquam Ieſu Nazareno Mariæ filio, & homini nato. Ab æterno eam habui à Patre antequam homo eſſem, ſed homo factus temporaliter eam accepi ſecundum humanitatem, & occultam ſeruaui vſque ad reſurrectionem & aſcenſionem quũ iſta manifeſtari oporteret, vt Paulus ad Romanos ait, Qui declaratus eſt Filius Dei cum potentia.* Hæc igitur D. Lutherus rectè ſenſit de æterna Verbi deitate & potentia homini Chriſto in perſonæ vnitate, non autem de reali donorũ effuſione data: quò pertinet quod Scholaſtici aiunt, *Omnia quæ habet Filius, à Patre habet, aut per naturæ ordinem, aut per gratuitam vnionem.* Et Magiſter ſententiarum, omnia Chriſto vt homini data eſſe in tempore quæ ab æterno habuit vt Deus, ita vult intelligi, quia videlicet perſona Verbi quæ fuit ab æterno diuinæ, in tempore facta eſt humanæ naturæ hypoſtaſis & perſona. Sic igitur omnem poteſtatem dari, eſt naturæ copulari in vnitate perſonæ, quæ eſt omnipotens, ſicut & hoc

Quomodo omnia Chriſto data, vt Deo & vt homini.

Ioan.16.
Ioan.5.

Nõ eſt duplex in Chriſto omnipotentia cõmunicans & communicata.

Mathei 11.
Math.28.

Roman.1.

Bonauent.lib.3.diſt.1. art.3.q.3.

Magiſt.ſent.lib.3.diſt. 14.in fine.

Omnem poteſtatem Chriſto dari.

modo vitam & viuificam Verbi operationem iuxta humanitatem à Chriſto acceptam interpretatur Cyrillus.

Cyrill. lib. 2. de recta fide ad reginas circa finem.

II.

Philip. 2.

Nomen quoque ſuper omne nomẽ Filio datum, non eſt, vt abſurdè faciunt Vbiquiſtæ, de donis diuinarum proprietatum in carnem effuſis, quam Maieſtatem hominis appellant, intelligẽdum: ſed de ipſa deitatis eſſentia, quam cum patre communem habet, in quo nomine ſe ſeruaſſe Chriſtus ait eos, quos Pater ei dedit. Sic Paulinus contra Felicem & Etiphandum epiſcopos Toletanos, qui ſimiliter vt Vbiquiſtæ, hoc dicto abutebantur, Nomen ſuper omne nomen non Filii adoptiui, vel per gratiam, ſed Filii Dei viui & vnigeniti patris eſſe ſcribit. *Hoc nomen*, ait Auguſtinus, *datum eſt Chriſto vt homini ſecũdum quem factus eſt obediens vſque ad mortem crucis, quod iam habebat idẽ ipſe Dei filius, Deus de Deo natus æqualis.* Atque vt Cyprianus vel Rufinus ait aſcendiſſe Chriſtum in cælum, non vbi Verbum antea non erat, ſed vbi Verbum caro factum non ſedebat: ſic datum eſt Chriſto nomen ſuper omne nomen, non quod Verbum antea ab æterno à patre non habebat, ſed quod vt Verbum caro factum non habebat. Tale verò nomen, nulli prorſus creaturæ, & ne ipſi quidem humanitati Chriſti, quatenus humanitas eſt & altera ipſius perſonę natura, tribui poteſt aliter niſi quatenus Verbi propria & vna cum eo facta eſt perſona. Rectè enim Auguſtinus, *Filius Dei, qui erat in diuinitate Dei Patris Filius, ipſe factus eſt in homine, hominis matris filius, ne Filij nomen ad alterum tranſiret, qui non eſſet aterna natiuitate Filius. Dei ergo Filius, factus eſt hominis Filius, natus ſecundum veritatem naturæ, ex Deo, Dei Filius, & ſecundum veritatem naturæ, ex homine, hominis Filius, vt veritas geniti, non adoptione, non appellatione, ſed in vtraque natiuitate, Filij nomen naſcẽdo haberet, & eſſet verus Deus, & verus homo, vnus Filius.* Poteſt verò & nomen hoc ſuper omne nomen, tam de perſonæ excellentia, quàm officii mediatoris dignitate intelligi.

Cyrill. lib. 11. cap. 22. in Ioan. cap. 17.

Nomen in quo ſeruati ſumus.

Lib. 3. contra Maxim. cap. 2.

Baſil. 5 dial. 4. contra Eunom. & Gregor. Nazian. dialo. 5. cõtra Apollina. Bonauent. lib. 3. diſt. 1. art. 3. q. 1. Thom. 3. par. ſum. q. 16. art. 2. Auguſt. lib. de Eccleſ. dogmat. cap. 2. & expoſit. Epiſt. ad Roma.

Proprietates competunt & dicuntur ſecũdum veritatem cuiuſque naturæ.

III.

Iacob. And. protocol. Heidel. fol. 143. & 248.

Quàm igitur nugatorium eſt, quod Vbiquiſtæ obiiciunt?

obiiciunt? Si (inquiunt) homo Christus est omnipotens, quia omnipotentem in se habet naturam, cum qua vnitus est, quæ tamen humanitatem ipsius reuera omnipotentem non facit: ergo aut hinc impotentem hominem esse sequitur, aut omnes homines eo modo posse dici omnipotentes, quia Deus in omnibus hominibus vt totus in se, sic quoque est omnipotens. Hoc verò quum ita valde pueriliter dicũt, primùm à D. Luthero præceptore suo dissentientes, erroris eum condemnant, qui in Christo humanitatem ipsius omnipotentem facere, dicit esse naturas & earum opera, temerè & imprudenter permiscere. Deinde satis ostendunt se nondum intelligere quomodo Christus verè sit homo. Nam præterquàm quòd nec potest nec debet impotens homo dici, quòd per naturam humanitatis suæ non sit omnipotens, vt Deus: alia etiam ratione minus rectè ab Vbiquistis hoc dicitur, quum Christus (vt suprà est annotatum) non per se aut seorsim, sed in ipsa omni potẽtis Verbi persona, sit homo. Hoc enim est quod Scholastici dicunt, Hominem Christum designare suppositum in persona Verbi, quod est æternum. Humanitas enim in Christo, non est homo, sicut nec natura humana: sed persona Verbi, vnitatem in se habet & subsistentem humanitatem cui mysterio nihil simile in aliis hominibus cogitari potest. Est igitur ipsa Vbiquistarum prorsus Nestoriana imaginatio qua hominẽ Christum, quod ad personalẽ subsistentiã attinet, cum aliis cõmunibus hominibus cõferunt, quam sic refutat Cyrillus: *Qui dicunt quòd ex semine Dauid adaptarit sibi hominem Deus, & communicauit illi dignitatem gloriæ, & honoris ac filiationis, & præparauit illum vt ferret crucem, moreretur & resurgeret, in cælum ascenderet, & ad dexteram sederet Patris, vt ab omni creatura honoraretur, & honorem propter Deum, in quem respicitur, sortiretur, primùm quidem duos filios introducunt. Deinde huius mysterij virtutem imperitè subuertunt: Non enim ex homine Deus factus est Christus, sed Deus existens Verbum, factum est caro, id est homo.* Item, *Rationem adunationis exponentes Nestoriani dicunt, de-*

Hac imaginatione duæ præsupponũtur hypostases.

Christus in personali subsistentia homo: ita etiam omnipotẽs est.

Thomas 3. part. sum. q. 16. art. 3. & 17. art. 2. Gabriel Biel. dist. 7. li. 3.

In exposit. symboli Niceni.

Homo non fit Deus per communicationem deitatis.

natam esse ipsi à Deo æqualitatem dignitatis siue authoritatis vt simili appellatione & Christus & Filius dicatur & Dominus.

Homo Christus est Deus & omnipotens, non nudo nominis titulo sed re ipsa.

Quamuis itaque humanæ naturæ veritate, nec Deus nec omnipotens sit Homo Christus, tamen non ideo nudo nominis titulo Deus & omnipotens esse dicitur, sed reuera in vnitate & subsistentia personæ, quæ natura Deus est & omnipotẽs. Alioquin si participatione deitatis & omnipotentiæ in natura humana verè & realiter Deus & omnipotẽs est Christus secundũ humanitatem, vt isti sentiunt: non verus hinc vnigenitus Filius Dei, & ab æterno omnipotẽs Deus est, Homo Christus: neque vlla vera subest ratio per quam Filius Dei Verbum de humana natura, per inhabitationem ipsius dici possit. Quo igitur prædicationis & intelligendi modo, Homo Christus, est verus Deus Emanuel, Vnigenitus ex Patre Filius? Ratione diuinæ naturæ, inquiunt Vbiquistæ. At ista certè diuina natura de humanitate Christi reali prædicatione non dicitur: neque idem est verè & essentia Deum esse, quod diuinam in se naturam habitantem habere, vt ipsimet fatentur. Inde verò prorsus efficitur hoc vnionis & prædicationis modo, quem docent Vbiquistæ, Hominem Christum non esse nec dici posse Verbum & Filium Patris, & vnum ab æterno cum Patre Deum. Sed & inde consequenter veram adorationis Christi, in vnitate personæ, rationẽ, tolli & perire necesse est. Nam propter inhabitantẽ in eo Deum Verbum (in quem respiciatur) nõ magis rectè adoratur Christus, quàm Elias & Paulus. Ipsam verò humanitatem, diuinæ naturæ gloria & maiestate ornatam, (qua verè Deum esse dicunt Christum) adorare, non est Vnigenitum Patris Filium, & vnum cum eo Deum adorare.

Marentius 2. dialogo. contra Nestorij.

Cyrill. lib. 11. cap. 27. in Ioan.

Vbiquistæ tollunt veram adorationem hominis Christi. Thes. Tubin. 24. 25. & 26.

Cyrill. ca. 17. de incar. Vnigen.

Rectius hæc multo Scholastici, quos etsi probare videri velint Vbiquistæ, nunquã tamen ab eis lectos esse diligẽter, & cũ iudicio, nec rectè intellectos constat. Pluribus enim modis loquutionem hãc, Homo Christus est Deus, intellectam fuisse declarant. Alii enim (inquiunt) esse Deum, non naturaliter de Deo

Thomas 3. part. sum. q. 6. art. 1. 2. & 7. Quot modis intelligatur, Homo Christus est Deus.

vero,

vero, ſed participatione & per communicatæ deitatis gratiam intellexerunt, vt homo Chriſtus præ aliis ſanctis, propter abundantiorem gratiam & plenitudinem donorum Deus eſſe dicatur, quæ Fotini hæreſis fuit, & hodie à Seruetiſtis & nouis Arrianis idem dicetur.

II. Alii verò (vt Neſtorius) vtriuſque in Chriſto naturæ veritatem agnoſcentes, in prædicationis modo, propter duas quas ponebant hypoſtaſes aberrarũt, quum Chriſtum hominem Deum eſſe dicerent, per quandam Dei Verbi cum homine coniunctionem ſecundum dignitatem, authoritatem & inſeparabilem inhabitationem.

III. Theodoretus & Vigilius. Alii, vt Dioſcorus & Eutyches qui naturas & earum proprietates atque operationes in Chriſto poſt vnionem confundebant, mutua quadam communicatione & participatione eas de ſe inuicem dici intellexerunt. His porrò omnibus valdè vicina ſi non planè eadem eſt Vbiquiſtarum ſententia, qui diuinitatem, qua Chriſtum hominem, verè & re ipſa Deum eſſe ſecundum humanitatem dicunt, non æternam Verbi diuinitatem, quam cum Patre in vnitate ſubſtantiæ communem habet, ſed communicatæ deitatis donum hæc eſt, Formam Dei, & diuinitatis plenitudinem, in Chriſto corporaliter habitantem eſſe diſertis verbis definiunt, ipſámque diuinitatem Verbi, communem faciunt homini Chriſto per inhabitationem cum aliis ſanctis.

Brentius in recognitione. Theſes Tubingenſes, Iacobus Andr. protocol. Heidel. fol. 166. & 247. & in Apologia fol. 25.

IIII. Thomas d. quæſt. 16. art. 2. Alius eſt denique (aiunt Scholaſtici) catholicæ & orthodoxæ fidei ſẽſus, quo Homo Chriſtus, dicitur verè & eſſentia Deus, creator & omnipotens per vnionem, non ratione humanæ naturæ, ſed ratione hypoſtaſis & ſuppoſiti. Quæ enim vniuntur in vno ſuppoſito, in concreto de ſe inuicem dicuntur, propter ipſius ſuppoſiti vnitatem. Sic homo eſt Deus, quia perſona quæ eſt homo, ſeu vnitum habet hominem, & vnum cum eo ὑφιστάμενον ſeu ſuppoſitum conſtituit, eſt verè, propriè & natura Deus. Hoc modo Deum eſſe, non dicitur nec verificatur (vt dictũ eſt) de homine ratione humanæ naturæ, in qua non ha-

Bonauent. lib. 3. diſt. 7. q. 1. Gabriel art. 3. dubio 1. Et D. Luth. diſp. de cõmunic. idiomat. anno 43.

Thomas 2. quæſt. 16. art. 7.

Subiectum hõmo, de quo dicitur Deus, est ipsa filij Dei, in qua Christus homo est persona.

bet personalem subsistentiam, sed suppositi vel hypostasis suæ, in qua subsistit ratione. Hoc autem suppositum humanæ naturæ, de quo dicitur & verificatur Deũ esse, quia idem est quod hypostasis seu persona filii Dei, quæ semper & natura Deus est, inde fit, vt ex Christianæ fidei & de idiomatum cõmunicatione doctrina, vera sit loquutio, Homo est Deus.

Vbiquistæ introducũt recentem Deum.

Nam alioqui si de humana natura, vt supposito creato intelligatur, nouum hinc & recentem Deum cõtra Scripturam introduci, & doceri apertè fatetur Thomas.

Hoc autem loco diligẽter velim expẽdi ab iis, qui veritatem amant & quærunt, an non hac reali sua, quam ipsi primi omnium aduersus vniuersalem veteris Ecclesiæ cõsensum introduxerunt idiomatum cõmunicatione in naturis, noui in Ecclesia dogmatis, quòd tamen minimè videri volunt, authores sese faciãt Vbiquistæ. Horũ certè extrema pertinacia in defendenda corporali præsentia Christi effectum est tandem vt, quum alia & firmiora non suppeterent, (id enim palàm & non obscurè tradunt) etiam sacrosanctum incarnaiionis mysterium noua opinionum varietate inuoluant, vt hodiè (proh dolor) magno atque pudẽdo in Ecclesia scandalo lis & dissensio sit, quomodo Christus Homo, verè sit & dicatur Deus. Hanc autem controuersiam, si ad vindicandum Christi maiestatem tam necessariam censuerunt homines maleferiati, quî factum est vt Scholasticis & Papistis, adeóq; veteribus Patribus, quos illi hac in parte sequuti sunt, à quibus nemo vsq; ad hæc tempora repertus est sanus qui in hoc genere doctrinæ dissenserit, potius quàm iis quos falsò Zuinglianos & Caluinianos vocant, hanc litem non intẽderint? Hoc scilicet vnicum malæ causæ præsidium. Hæc ad captandum popularem applausum accuratè excogitata, & impostoribus vsitata est ratio; & in obruenda veritate sola illis victoriæ spes est.

Vbiquistæ noui in Ecclesia dogmatis authores.

Vbiquistæ tradũt realem corporis in pane præsentiã, nisi ex noua explicatione personalis vnionis, non posse discindi.

Illyricus, Westphalus, Heshusius, & alij similes.

Quid verò hic sentiendum videtur, de magnis illis Theologorũ Coryphæis? quàm fideles existimandi sint Christianæ doctrinæ custodes: qui, etsi omniũ

se Ma-

se Magistros & Censores faciant, vt tamen realem corporis Christi præsentiam, semel ex errore & præiudicio receptam, tueantur & retineant, totum incarnationis mysterium, hac recẽter introducta personalis vnionis explicatione, per realem communicationem idiomatum planè euerti, atque præclara illa scripturæ dicta, de naturali & æterna Fili Dei diuinitate, praua interpretatione deprauari, & Seruetistis nouisque Arrianis prostitui siue manifesta assensione, siue per dissimulationem patiuntur? Certè hac in re maior est Pontificiorum & Iesuistarum deprehẽsa fides & synceritas, qui non ampliusaut certè parum de dominicæ Cœnę verbi, sed de ipso religionis fundamento, & articulis fidei, litem & cõtrouersiam esse intelligunt satis, & ingenuè fatentur, quod tamen isti flagitiosè dissimulant. Et quis igitur errorem esse non agnoscat & fateatur, quẽ aliter quàm errore, & deprauata Scripturarum intelligentia, & manifesta articulorum fidei corruptela, defendi non posse constat?

ad Philipp. ca.2. & ad Colloss. 1. & 2.

AN QVAE DE TOTA PERSONA *in concreto dicuntur, intelligantur secundum vtramque simul naturam.*

CAPVT III.

HAEC quæstio cũ superiore connexa est, & ex eodẽ erroris fonte promanat. Nã si secũdum humanitatem, atque sic secundum vtramque totius personæ naturam Deus est Christus, consequens esse putant Vbiquistæ, vt etiam proprietates diuinitatis vtrique naturæ sint communes, & quæ de tota persona dicuntur, non alia ratione quàm de vtraque simul natura, intelligi possint. Sed ipsi certè immerito dãt pœnas, contemptæ & ignoratæ veteris Ecclesiæ patrum eruditæ & rectè explicatæ sententiæ. Errant autem in duobus. Primò quòd imaginantur aut præsupponũt

I. D. Iacob. Andr. contra Bezam. fol. 69. & 53. & Thes. Tubing. 9.

diuinæ & humanæ naturæ ſic vnam eſſe in Chriſto perſonam, quaſi ex vtriuſque cõcurſu & vnione primùm cœperit eſſe atque conſtituta ſit hæc perſona, vt alia ratione ei competere vel de perſona dici quic quam non poſſit, niſi ſecundum vtramque pariter naturam. Hinc Chriſtum humanitate ſua perſonaliter, Diuinitate verò eſſentialiter Deum eſſe, & proprietates eodem modo cõmunicari docent. At hoc falſum eſt. Nam perſona in Chriſto eſt æterna, & ante omnem humanę naturæ aſſumptionem quamuis in tempore etiam cœperit eſſe humanæ naturæ perſona per aſſumptionem, non quòd perſonæ Verbi noua acceſſerit vnitas, ſed quia ex aſſumptione humanæ naturæ factum eſt, vt duarum naturarum vna ſit hypoſtaſis & perſona, per vtriuſque in ea ſubſiſtẽtiam. Sic Auguſtinus *Deus Verbũ non ſuſcepit perſonam hominis, ſed naturam, & in æternam perſonam diuinitatis accepit temporalem ſubſtantiam carnis.* Et Fulgentius. *Sic Deo Verbo mirabiliter vnita eſt humana natura, vt ipſe Verus Deus homo fieret, alteram vero perſonam incarnati Verbi, vera humanitas non haberet. Acceſſit enim Deo humana ſubſtantia, non perſona.* Item, *Verbum caro factum, antequam caro fieret, manſit æternum, Caro autem Verbi, in ipſo Deo Verbo, perſonale ſumpſit initium:* quia igitur aſſumpta humanitas Chriſti, non in humanæ naturæ propria, ſed in Verbi perſona, ſubſiſtentiam ſuam habet & ſuſtentatur, eóque modo Verbi propria facta eſt, idcircò vera eſſe poſſunt, quæ de perſona dicuntur, quamuis vnius naturę ratione tantùm, quia videlicet eius naturæ perſona eſt, cui hæc competunt. Et hoc eſt quod Theodoretus contra hanc Vbiquiſtarum ſententiam prolixè diſputãs ait, *Quoties de perſona loquimur, oportet ea communia facere, quæ naturarum ſunt propria.* Et Hilarius apud Theodoretum citatus hæreticos ait fallendi ſimplices occaſionem accepiſſe, vt quia vnus atque idem eſt, qui omnia de ſemetipſo loquitur, ea quæ ab eo ſecundum hominem dicta ſunt, de diuina natura dicta intelligi velint. *Locutus eſt autem* (inquit Cyrillus) *& geſſit homo vniuerſa quæ Dei ſunt. Loquens deinde*

etiam

Principium vnionis eſt in aſſumente perſona.

Auguſt. lib. 1. contra Maxim. cap. 20. Bona. lib. 3. diſt. 5. q. 2. & diſt. 6. q. 2. & 3. lib. de incarnatio. cap. 5. & 10.

Sicut temporale æterno, ſic finitum infinito vnitur.

Caro quomodo Verbi propria.

In dialogis Vbi citat Hilarium lib. 9.

Idem Cyrill. lib. 1. de recta fide ad reginas. Permutatio proprietatum.

etiam & gerens vniuersa, Deus quæ hominis sunt. Alter istorum error est in eo positus quòd præter diuinã & humanam naturas vnitas in persona Christi, quasi tertium quiddam per accidens ab his diuersum quod ex hac vnione resultet, vel quo ipsa propriè constet & perficiatur vnio comminiscuntur, realem videlicet istam diuinarum proprietatum communicationem & effusionem in humanã naturam, quam esse tradunt non ipsam quidem per se diuinitatem, sed Dei formam, nec ipsam quoque humanitatem, sed hominis maiestatem, secundum quam in æquali gloria & omnipræsentia cum Deo, ab omnibus absolutè sit distinctus creaturis. Quũ igitur hæc realis proprietatum effusio nec propria sit Christi diuinitas qua æterno suo Patri, nec etiam vera ipsius humanitas, qua nostrę naturę est ὁμοουσιος, sed quiddam ex his tertium, atque ab iis realiter distinctum (ita enim accuratè videri volũt, naturarum essentias in se, & ab his maiestatem hominis, quasi quiddam per accidens discernere) meritò dicitur esse inaniſſimũ commentum, quod ab ipsis etiam Scholasticis disertissimè & rectissimè est confutatum, quoniam ex eo nihil aliud, quàm quaternitas in diuinis consequeretur, siquidem præter vnum essentia in tribus personis Deum, etiam humanitas Christi, non essentia, sed per communicatam in plenitudine temporis diuinitatis maiestatem personaliter, atque ita alio ab ipsis tribus in diuinitate personis, modo Deus esse asseritur ab Vbiquistis. Longè aliter & profectò melius de creata vnionis gratia & cum Deo conformitate sentiunt & loquuntur Scholastici, qui & si humanam naturam Christi per hanc gratiam ad summam perfectionem, creaturæ possibilem, assumptam & eleuatam esse dicunt: tamen omnino & constanter negant diuinitatis excellentiam aut omnipotentiam, humanitati Christi posse communicari, vt sit quasi forma quædam & proprietas siue substantialiter siue accidentaliter ipsi inhærens. Hac itaque de causa actiones & proprietates, quæ de tota persona dicuntur,

II. Aliter Synodus Chalcedonensis. Iacob. Andr. Thes. 22. 23. 24.

Iacob. Andr. in protocol. Heidel. fol. 197. & 352. & contra Bezam & Thes. Tubing. Iacob. Andr. in protocol. Heid. fol. 353. & Apolog. contra Thes. Ingolstad.

Mag. sent. lib. 3. dist. 6. & 7. Bonauent. dist. 6. q. 2. art. 1. & q. 1. art. 2. & dist. 20. in fin. Tho. 3. part. sum. q. 2. art. 1. Tertul. cõtra Praxeã.

Lib. 3. sent. dist. 13. & 14. & Bona. dist. 15.

non possunt intelligi, vtrique naturæ esse communes. Quoniam verò non seorsim in suæ naturæ hypostasi singulæ subsistunt inde fit vt nec separatim quoque proprietates iis attribuãtur, sed de tota persona dicãtur, in qua subsistit vtraque natura indissolubili fœdere copulata. Huc pertinet illud quod Athanasius ait: *Ne quis distinctè omnia de Christo dici censeat, sed etiam coniunctim, ob hoc quæ humana sunt, quæ item diuina, de ipso promiscuè & in commune prædicantur, intellectu discernente quæ vtrique conueniunt naturæ.* Hinc etiam illud, *Communicatio Idiomatum fit in persona, non in natura, quia naturæ ipsæ idiomata sua non communicant, nec abstracta naturarum de se inuicem prædicantur. Alioqui*, vt rectè dicit Thomas, *si in mysterio incarnationis, vtraque natura de Christo in abstracto dicatur, concedi hinc necesse erit, Christum esse duo:* quamobrem nec illa rectè neque conuenienter dici possunt, Humanitas Christi est Deus, est Creator, est omnipotens & incircumscripta: vel diuina natura est homo, est mortalis.

Ratio communicationis idiomatum in persona.

Lib. 4. de incar. Christi.

Bonauent. lib. 3. dist. 8. q. 1. & dist. 14. q. 1. art. 1.

Thomas 3. part. sum. q. 17. art. 1. contra Thesim Tubing. 9.

Gabr. Biel. lib. 3. dist. 7.

Bonauent. dist. 6. q. 1. & dist. 9. art. 1. q. 1.

An non igitur manifesta est Vbiquistarum calumnia quum qui argutantur, *Nisi concedatur realis communicatio proprietatum diuinæ naturæ cum humana non posse Christum hominem dici Deum, nisi nomine tantùm, absque re & maiestate, qua vna tamen propriè ab omnibus distet creaturis?* Aut enim hoc intelligi volunt in concreto, & de persona Christi, & planè nugatorium est, quia hæc persona est ab æterno verè & essentia Deus, & vnigenitus Dei filius eiusdem cum Patre maiestatis, aut de assumpta ipsius humanitate, quæ suam in hac persona tẽporaliter habere cœpit subsistentiam per vnionem. Hæc verò neque essentia, neque vlla diuinitatis communicatione Deus est, sed creatura nostræ ὁμοουσιος naturæ. Neque duplex est in Christo constituenda diuinitas, altera per se in essentia, altera per accidens, in communicatione. Sic enim Augustinus, *In assumptione Formæ serui, à Forma & persona Dei, vtrumque Deus est, sed per assumentem Deum, sicut vtrumque homo est, sed per acceptũ hominem.* Et Amphilochius apud Theodoretum, *Discerne mihi deinceps*

D. Iacob. And. in protocol. Heidelb. fo. 352.

Lib. 1. de Trinitate.

Dial. 1.

Humana Christi natura non est Deus.

diuinam & humanam: non enim excidens ex Deo factus est homo: neque proficiens ex homine, Deus. Et Cyrillus. *Non ex homine Deus factus est Christus, sed Deus Verbum, factus est homo. Exinanitus est autem secundum propriam naturam, secundum quam intelligitur Deus. Non homo existens, vt fieret in similitudine Dei, secundum participium locupletatus est.* Gregorius Nazianzenus: *Christus non est homo particeps deitatis, sed Deus particeps carnis & sanguinis.* Et Fulgentius: *Neq; enim ipsa caro, id est ipse homo, in se formam Dei viuentis accepit, sed Deus, qui semper in Forma Dei erat, Formam serui accepit, & sic Verbum caro factum, vnus est Christus.*

In exposit. symb. Niceni.

Dialog. 5. contra Apollinar.

De incar. & grat. cap. 10.

In forma Dei esse, est Patri æqualem esse.

Nestorianum est igitur affirmare, Christum aliter esse Deum secundum diuinitatem Verbi, naturaliter & per essentiam, aliter secundum humanitatem, per participationis gratiam & communicata quadam diuinitatis maiestate. Quomodo enim non hac ratione alia erit Verbi, eáque æterna diuinæ naturæ persona in Christo concedenda, & alia deificatæ humanitatis ex tempore, quæ quum personaliter Deus esse dicitur, non est tamen ipsa Verbi, & altera in trinitate persona? Et quia hæc humanitas Christi non est Deus Verbum ante secula natus, aut aliter hominem Christum, quàm humanitatem ipsius, Deum esse fateri, aut verò essentialiter Verbum Patris esse negari oportebit. Quin etiam hinc duos in Christo filios concedi erit necesse, alium secundum diuinitatem & natura, alium Deificata humanitate per gratiam, vt malè senserunt Felix & Eliphandus. Cuius igitur tandem Filii mater per vnionem rectè dici poterit Maria Dei genitrix, vt quod ex ea natũ est, sit filius Dei altissimi? An ideo Deum peperisse dicetur, quòd secundum cõmunicatas diuinæ naturæ proprietates, Deo æqualis est, quem genuit homo? an verò potius quia incarnatum genuit Verbũ, Vnigenitum Patris, & Deum Emanuelem, vt vniuersa hactenus rectè sensit Ecclesia? Sic enim Cyrilli Nestorio respondet: *Quamuis secundum naturam Christus sit & dicatur Deus, eáque nascendi initium ex virgine nõ acceperit, tamen quia carnem assumpsit, & in carne subsistens, ex Maria natus est Deus Verbum, ideò necessariò fa-*

Humana natura sicut non est persona, ita non est personaliter Deus.

Nicob. Andr. in Apolo. fo. 29.

Bonauent. lib. 3. dist. 4. quæst. 3.

Paulinus Aquileiẽsis.

Aliud est enim communicata deitas. Aliud incarnatum Verbum.

Cyrill. ad Orientales cõtra Nestoriũ. Fulg. de incar. cap. 3. & 5.

Vt natiuitas carnis, ita caro Verbi est propria.

tendum est, Filium Dei ex Maria natum. Nam propter carnem Verbi propriam, natiuitatem carnis suam facit Deus Verbum. Et Hilarius, *Quomodo Dei Filius natus est ex Maria, nisi quòd Verbum caro factum est? videlicet quòd Filius Dei, quum esset in Forma Dei, formam serui accepit?* Et Augustinus, *Vnus atque idem Deus Filius, natus ante secula, & natus in seculo, & vtraque natiuitas Filij Dei est: Diuina secundum quam in Forma Dei coæternus Patri Deus est, Humana, secũdum quam semetipsum exinaniuit, Formam serui accepit, & sic de matris vtero, idem Deus homo factus exiuit. Neque enim natura æterna atque diuina temporaliter concipi, & nasci ex humana natura potuit, nisi secundum susceptionem veritatis humanæ, veram temporaliter conceptionem atque natiuitatem ineffabilis in se diuinitas accepisset. Sic est Deus æternus & verus, secundum tempus conceptus & natus ex virgine. Dum enim venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, illo scilicet Deo, naturaliter facto filio hominis, qui vnus est naturaliter Filius Dei Patris vnigenitus.* Item, *Genuit Maria & non genuit Filium Dei. Genuit, quia ex ipsa secundum carnem natus est Christus. Non genuit, quia de patre ab initio extitit Filius. Genuit, quando ex hoc Verbum caro factum processit. Non genuit, quãdo in principio erat Verbum, quod dedit originem vniuersis.* Hoc itaque sensũ & intelligendi modo, Filius Dei dicitur ex Virgine natus, & Virgo mater Dei per communicationem idiomatum, non quasi diuinitatis sit mater, sed quia eius personæ, quæ in diuina & humana natura subsistit, mater est secundum humanitatem.

Lib. 10. de Vnitate. De fide ad Petrũ cap. 2. Idem Ignat. Epist. 1. & 11.

Filius Dei in forma Dei.

Sic Christus Homo verè Deus est, sicut Deus verus ex Virgine natus est.

Christus naturaliter Deus ex Virgine natus. Contra Felicianum cap. 12.

Thom. 3. part. sum. q. 35. art. 4. Bonau. lib. 3. dist. 4. art. 2. q. 3. & ibi Gabriel Biel.

Quantò verò cautiores & sollicitos magis fuisse veteres constat, in hoc enarrabili assumptę humanitatis mysterio, ne quid affirmarent atque scriberent temerè, quod aut iam profligatis ex Ecclesia erroribus vicinum & consentaneum videri, aut in posterũ nouam errandi causam præbere posset? Sed ita solet istis accidere, qui veritatem tam obstinatè oppugnant, vt subinde errorem ex errore pariant. Quî enim non habeatur insolens admodum & manifesta Ioannis & Pauli sententiæ corruptela, Verbum

D. Iacob. Andr. in protocol. Heidel. fo. 14. & fol. 247.

Caro

Caro factum est, hoc planè nouo sensu exponere, id est, assumpsit iuxta se carnem, vt esset in æquali gloria Maiestate & omnipræsentia & cõmunicatæ deitatis participatione? Item Formam Dei in Christo, non pro ipsa Deitatis essentia, qua æqualis est Patri ab æterno, sed duntaxat pro communicatione donorum effusa, & in hærente in humana natura diuinitatis plenitudine, gloria & maiestate, sicut nec Formam serui, pro ipsa humanitate, sed pro humilitatis ipsius statu tantùm, aduersus receptissimum totius Ecclesiæ consensum, execranda cum temeritate simul & impietate interpretari? Nam alioquin tum formæ Dei appellatione ipsam quoque diuinitatis excellentiã, tum formæ serui nomine humanitatis quoq; abiectionẽ significari non inficiamur: at non qualem isti somniant, vnius videlicet humanitatis diuersum statum, cui & formæ Dei & formæ serui nomen tãquam subiecto tribuatur, quod rursum dico vanissimum & inanissimum esse commentum.

Aliter Cyril. & Theodor. dial. 1.

Basil. dial. 4. contra Eunom. Cyrill. lib. 1. & 3. dialo. & de incarnat. cap. 11. Theodor. dialog. 2. Chrysost. & Ambr. ca. 2. ad Philip. Aug. tract. 40. in Ioan. & de Trinit. & Vnit. Dei cap. 13. de fide ad Pet. cap. 2. Fulgen. lib. 3. ad Trasi. & de incar. & grat. cap. 2. Brentius sibi contrarius. cap. 2. Epist. ad Philip.

At inquiunt, nisi Christus homo, sit & dicatur Deus propter hanc communicatam diuinitatis maiestatem, & proprietates ipsius in humanã naturam effusas, nihil amplius erit Christus, quàm Petrus, imo omnes homines poterunt dici Christi. Verùm quæ hæc est siue stupiditas siue improbitas? An non enim peculiari & longè sublimiori modo Deũ Verbũ in proprio suo tẽplo, quàm in sanctis aut alia qualibet creatura esse & habitare, ex eo satis apparet, quod Petri atque sanctorum natura qua homines sunt, non inhabitantis ipsius Verbi, sed suæ personæ propria sit per subsistentiam, Christi autem humanitas non hominis alicuius per se, sed Verbi personæ propria, & in Deo Verbo subsistat? Itaq; & corpus & caro Dei, non hominis dicitur, & quę carnis sunt sua facit Verbum: & hinc filius Dei in homine Christo dicitur visibilis & palpabilis, quod non similiter dici potest de Petro vel alio quoquam. Non enim vt de Christo rectè dicitur, Homo est Deus, per communicationem idiomatum, id est persona Verbi quæ est homo seu quæ vnitum in se habet hominem, est

Iacob. Andr. in protocol. Heidelb. fol. 13.

Iustinus in expos. fidei. Gregor. Nazian. dial. 5. cõtra Apolinar.

Discrimen Petri & Christi.

Cur caro & corpus Dei dicitur.

1. Timot. 3. Ignatius Epist. 8.

Deus: ita quoque ſimiliter dici poteſt, Petrus eſt Deus, id eſt perſona Verbi quæ eſt Petrus eſt Deus. Talem verò vnionem humanitatis cum Verbo, ſecundum ſubſiſtentiam docet Synodus Epheſina. Subſiſtunt enim res omnes in vniuerſum indiuidua & incommunicabili vnitate ſua, aut in ſuamet aut in alterius hypoſtaſi. Reliquæ creaturæ, in propria ſua ſubſiſtentia in qua conditæ & indiuiduo vel numero inter ſe differentes ſunt ſuſtentantu-, eáque totius Trinitatis eſt actio: hæc verò Chriſti humanæ naturæ maſſa à ſolo Verbo aſſumpta, eandem cum eo in ſingularitate perſonæ ſubſiſtentiã habet. Chriſtum itaque cum Petro conferre, quod iſti faciunt, eſt in vtroque propriam ſubſiſtentiam ponere cum Neſtorio.

Anathemat. 2. contra Neſtor. & Maxẽt. diog. 2. contra Neſtor.

Gabriel lib. 3. diſt. 1. quæſt. 1.

Vnio ſecundum ſubſiſtentiam qualis.

Eiuſmodi diſcrimen Chriſti & ſanctorum docet his verbis Cyrillus: *Non dixit in carnem Filium Dei venisse, ſed carnem factum fuiſſe, nequis habitudine ſicut in Prophetas & cæteros ſanctos veniſſe ipſum, ſed vt verè carnem, id eſt, hominem factũ eſſe arbitretur. Propterea etiam Deus eſt ſecundum naturam in carne & cum carne: propriam enim ſibi illam fecit, & tamen aliud præter ipſam intelligitur, & in ipſa & cum ipſa adoratur.* Item, *Corpus eſt non cuiuſuis hominis, cuius caro prodeſſe non poſſet quicquam, non enim Pauli vel Petri aut cæterorum, ſed ipſius vitæ & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti corpus eſt, in quo plenitudo deitatis corporaliter habitat.* Item, *Quamuis homo factus ſit, tanto tamen vocatis fratribus ſuperior eſt, quanto Deus verè & naturaliter hominibus præſtat, & quantum adoptione filios verè filius excedit.* Item, *Si inhabitantem in ſe Deum habere ſatis eſt vt idcirco verè quis Deus ſit & adoretur, omnes erunt dei & adorandi. Sed non ſufficit hæc natura deos oſtendere, & adorandos, Igitur non propterea Deus eſt adorandus Emanuel, quòd inhabitarit in eo tanquam in communi homine, ſed quòd Verbum caro factum ſit, id eſt homo, manſit ideo & Deus & adorandus.* Item, *Si vnus communis homo eſſet Ieſus qui operandi facultatẽ acceperit à Spiritu ſancto, vt poſſit diuina ſigna perficere, nullo modo differret à ſanctis Apoſtolis vel Prophetis qui per diuinã benignitatem diuinis impleti*

Cyrill. lib. 1. cap. 15. in Ioan.

Quid ſit Verbum caro factum eſt.

Lib. 4. cap. 23. in Ioan.

Corpus Chriſti corpus vitæ proprium.

Lib. 1. cap. 17. in Ioan. vbi triplex diſcrimen Chriſti & ſanctorum tradit.

Chriſtus homo, non differt à ſanctis, communicata deitate ſed naturali.

De incarnat. Vnigen. cap. 17.

In Apolog. Anathe. 9.

Chriſtus differt à ſanctis proprietate ſpiritus vt eſt in Patre.

ſpecti donis dixerunt meritò, Gratia Dei ſumus quod ſumus, Chriſto autẽ proprius eſt Spiritus ſanctus, quẽadmodum Dei Patris eſt. Operatur enim efficaciter ſicut Pater per Spiritum. Itaque non quaſi aliena virtute per Spiritum operãdi facultatem accepiſſe dicimus Emanuelem, ſed propriam habuit conſubſtantialis Spiritus virtutem, quam vt Deus habuit. Et poſt, *Qui Chriſtum vnum & Filium & Dominum eſſe confitentur, eundémque eſſe ſimul Deum & hominem, credunt nobiſcum quòd non operandi facultatem acceperit, quaſi à meliore quadam & altera virtute. Ipſe autem potius efficaciter diuina ſigna fecit per proprium Spiritum, in quo & omnis genitorum virtus eſt.* Sic igitur ex hac Cyrilli ſententia, à fratribus & conſortibus ſuis, differt Chriſtus homo, quatenus videlicet Deus eſt ſecũdum naturam in carne quam ſibi propriam fecit, in eiuſdem perſonæ vnitate & ſubſiſtentia, ac proinde quanto Deus verè & naturaliter, habens propriam, cum Patre ab æterno Spiritus virtutem præſtat hominibus, & à ſanctis, qui aliena & communicata virtute operandi facultatem acceperunt, diſtat ac diſcernitur.

Spiritus non eſt ſubſtantialis communicatæ Deitati.

Communicata operandi facultas non diſcernit Chriſtũ à ſanctis.

Diſcrimen Chriſti & ſanctorum.

De hoc diſcrimine, multis in locis, grauiter & erudite meminit Auguſtinus: *Intereſt (*ait*) inter Hominẽ & Hominem Deum, quia Homo Deus, dominus noſter Ieſus Chriſtus, Deus ante ſecula, & Homo in noſtro ſeculo, Deus de Patre, Homo de Virgine, vnus tamen atque idem Dominus, & ſaluator Ieſus Chriſtus, Filius Dei & Homo: Ioannes verò excellentis gratiæ miſſus ante ipſum, illuminatus ab illo qui lumẽ eſt. De eo enim dictum eſt, Non erat ille lumen, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Poteſt quidem dici lumen & ipſe, ſed illuminatum non illuminãs. Lumen enim illuminans, à ſeipſo lumen eſt, & ſibi lumen eſt, & non indiget alio lumine, vt lucere poßit, ſed ipſo indigent cætera, vt lucere poßint.* Item, *Verbum animam ſuſcepit & carnem, totius hominis ſibi cooptãs in vnitate perſonæ naturam. Nam & anima Apoſtoli, Verbo illuſtrata eſt, Anima Petri Verbo illuſtrata eſt, Anima Pauli, & aliorum ſanctorum Apoſtolorum quoque & Prophetarum, Verbo illuſtratæ ſunt animæ. Sed de nulla dictum eſt, Verbum caro factum eſt. De nulla dictum eſt, Ego & Pater vnum ſumus,*

Auguſtinus tracta. 14. in Ioan.

Vt homo Chriſtus verè Deus eſt à Patre ante ſecula: ita ab aliis hominibus differt.

Diſcrimen Chriſti & Ioannis.

Chriſtus lumen à ſeipſo.

Tract. 49. in Ioan.

Hæc nihil ad cõmunicatam diuinitatem Chriſti.

Anima & caro Christi cum Verbo Dei, vna est persona, Vnus est Christus. Item interpretans illud, Quomodo vita nostra abscõdita sit cum Christo in Deo: *Hoc modo* (ait) *illa anima Christi, quasi ferrum in igne, semper in Verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est. Omne quod sentit, agit & intelligit, Deus est, Et ideo nec vertibilis dici, nec mutabilis potest, quæ inconuertibilitatem ex Verbi Dei vnitate indesinenter ignita possidebit. Ad omnes denique sanctos calor aliquis de Verbo putandus est peruenisse. In hac autem anima, ignis ipse diuinus, substantialiter requieuisse credendus est, ex quo ad cæteros calor aliquis venerit. Denique quod à Dauide dicitur, Quia vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis, ostẽdit quòd ista anima, aliter oleo Lætitiæ, id est Verbo Dei & sapientia vngitur, & aliter participes eius, id est sancti Prophetæ & Apostoli. Illi autem in odore vnguentorum eius cucurrisse dicuntur, ista verò anima vasculum vnguenti eius fuit, ex cuius fragantia participes digni quoque Prophetæ & Apostoli fiebant. Sicut ergo alius est vnguẽti odor, & alia vnguenti substantia, ita aliud est Christus, & aliud participes sui.* Item, *Nec tamen ita dicimus fuisse Filium Dei in illa anima, sicut fuit in anima Pauli vel Petri cæterorúmque sanctorum, in quibus Christus similiter vt in Paulo loqui creditur, sed de illis omnibus sentiendum quod scriptura ait, quia nemo mũdus est à sorde, nec si vnius diei fuerit vita eius. Hæc verò anima quæ in Christo fuit, priusquam sciret malum, elegit bonum, & quia dilexit iustitiã, & odio habuit iniquitatẽ, propterea vnxit eam Deus oleo lætitiæ præ participibus eius. Oleo igitur lætitiæ vngitur, quũ Verbo Dei immaculati fœderatione coniuncta est, & per hæc sola omnium animarum peccati incapax fuit, quia filij Dei bene & plenè capax fuit. Ideóq; & vnum cum ipso est, atque eius vocabulis nuncupatur, & Iesus Christus appellatur, per quem omnia facta sunt.* Et paulò post, *Vnde & meritò, pro eo quod vel tota esset in Filio Dei, vel totum in se caperet Filium Dei, etiam ipsa cum ea, quam assumpserat carne, Dei Filius, & Dei virtus Christus, & Dei sapientia appellatur.* Et rursus, *Dei Filius, per quem omnia creata sunt, Iesus Christus, & Filius hominis appellatur, Nam & filius Dei mortuus esse dicitur, pro ea scilicet*

Lib.2.de incar.Verbi.

Psal.44. Oleũ lætitiæ quo vnctus est Christus, præ consortibus suis est ipsa essentia & sapientia Verbi.

Cantico 1.

Quomodo Filius Dei aliter in Christo, aliter in Petro & Paulo.

Lib.25. Isaias 7.

Hæc non dicuntur de Christo secundũ communicatam humanæ naturæ deitatem.

Nomina naturarum in Vnitate personæ permutantur.

natura,

natura, quæ mortem vtique recipere poterat. Et Filius hominis appellatur, qui venturus in gloria Dei patris cum sanctis Angelis prædicatur. Et hac de causa, secundum omnem scripturam tam diuina natura humanis vocabulis appellatur, quàm humana anima nuncupationis diuinæ insignibus decoratur. Item alibi, *Certificatum est in Catholica fide, Hominem illum quem suscepit sapientia Dei, nihil minus habuisse quàm cæteros homines, quãtum attinet ad integritatem naturæ, quantum autem attinet ad excellentiã personæ, aliud quàm cæteros homines. Nam cæteri homines possunt esse participes Verbi, habentes Verbum Dei, nullus autem eorum potest dici Verbum Dei, quod dictum est illi, cui dictum est, Verbum caro factum est.* Item, *Hoccine ergo interesse arbitramur, inter caput & membra, quòd in quolibet quamuis præcipuo membro, velut in aliquo magno Propheta & Apostolo, quamuis diuinitas habitet, non tamen sicut in capite, quod est Christus omnis plenitudo diuinitatis (nam & in nostro corpore ineſt sensus in singulis membris sed non tantus quantus est in capite) an etiam præter hoc, quòd tanquam in templo & illo corpore habitat omnis diuinitatis plenitudo, est aliud quod interſit inter illud caput, & cuiuslibet membri excellentiam? Est planè, quia singulari quadam susceptione illius hominis, vna facta est persona cum Deo Verbo. De nullo enim sanctorũ dici potest, Verbum caro factum est, nullus sanctorum quantumuis gratia præstans, Vnigeniti nomen accepit, vt quod ipsum Dei Verbum est ante secula, hoc simul cum assumpto homine diceretur. Singularis est ergo illa susceptio, nec cum hominibus aliquibus sanctis, quantalibet sapientia & sanctitate præstantibus, vllo modo potest esse communis.* Item, *Cæteri homines sancti, participes Verbi Dei sunt, sed non ipsum Verbum Dei.* Item, *Alios homines regit, hunc gerit Deus.* Item, *Alij sunt filij gratia, ille autem est Filius natura: in istis est participatio diuinitatis, in illo est plenitudo.*

Hoc non potest fieri in Petro & sanctis.

Christus personæ excellentia quæ est æterna, differt ab aliis sanctis.

Epist. 57. ad Darda.

I.

Discrimen per excellentiam donorum in capite & membris.

II.

Discrimen per vnionem in persona Verbi. Idem Athanas. dialog. 4. de Trinit.

Cõmunicata Vbiquistarum diuinitas, non est nomen Vnigeniti, nec Deus ante secula.

Psal. 29. de Trinit. lib. 13. cap. 18. & de Trinit. & Vnit. Dei.

Hæc Augustinus, de hoc Christi & sanctorum discrimine, quod tantoperè vrgẽt, & passim vbique inculcant Vbiquistæ, apud quos si pluris esset veteris Ecclesiæ consensus & authoritas, quàm illud quo suos aduersarios prosequuntur odium, & ambitiosa primas in Ecclesia tenendi cupiditas, potuissent ad-

eóque etiam debuissent, præmonentibus saltē Martyre & Beza, intelligere Christum à Petro, non communicatæ deitatis gratia & donis, sed personæ excellentia, qua est vnigenitus Patris, Verbum & natura Filius, lumen à seipso, & Deus ante secula, verè & propriè discerni: sicut ipsemet Petrus, Christum à Prophetis & Elia discernendum esse, illustri sua confessione docet inquiens, Tu es Filius Dei viui, qui venisti in hunc mundum.

Excellentia personæ Christi.

Obiectio Vbiquistarum. Dial. 2.

At hic iterum occurrunt Vbiquistæ: Ergo nomē Dei tantùm habet non rem ipsam, Homo Christus. Non dissimili modo apud Theodoretum argumentatur Eranistes. Respondeo vbi concreta naturarum de se inuicem prædicantur per vnionem (vt quum dicitur, Homo Christus est Deus æternus & immensus ex Patre, Et, Deus est Homo visibilis & localis ex homine) aut respicitur natura, aut persona: si natura nomina inter se communia fieri, & inuicem permutari est intelligendum. Certum est enim ipsis etiam fatentibus Vbiquistis nullam fieri mutuam communicationem essentiæ, quæ nihil esset aliud quàm naturarum confusio. Nec enim homo fit in sese per essentiam Deus nec Deus homo, sed vnione & copulatione vnum sunt Deus Verbum & caro assumpta, absque confusione. Rectè enim Cyrillus, *Per incarnationis modum, & vnionem inseparabilem, Caro est carnō diuinitas, etiamsi facta est Dei caro. Similiter Verbū Deus est, non caro, etiamsi propriam fecit carnem per dispensationem.* Et Hilarius: *Ipse Deus Verbum, omnia assumens quæ sunt hominis, homo est. Et assumptus homo, suscipiens omnia quæ sunt Dei, est Deus: nec cogitemus more & modo rerum confusarum, duas naturas in vnam coaluisse personā.* Hæc (vt opinor) nemo dicet vnquam de reali communicatione in naturis accipi posse & debere. Nam ex ea communicata Diuinitate quam somniant Vbiquistæ, dici quidem posset diuinitatis particeps, seu deiformis homo, sed non ipse Deus Verbum. Et propterea Scholastici rectè dicunt, Non esse vsitatum & formalem hunc prædicandi modum, per essentiam, inhærentiam vel causam, sed singularem & inusitatum qui ad alios vulgares prædicandi modos non

Chrysost. 1. cap. Ioan.

Epist. ad Orientales.

Theod. dial. 2. Quomodo homō Deus & Deus homo.

Bonauent. lib. 3. dist. 7. in prin. & q. 1. distin. 8. art. 1. q. 3. & dist. 13. art. 1. q. 2. Thom. 3. part. sum. q. 16.

dos non posit reduci vel accommodari. Quando verò persona respicitur, quia hæc in vtraque natura verè subsistit, in altera vt ab æterno Deus, in altera vt homo ex tempore, quælibet earum in concreto verè & realiter de persona dicitur. Et hoc modo Christus est verus Deus & homo, non nudo nominis titulo, sed per vtriusque naturæ veritatem, in assumentis personæ vnitate: Deus quidem, secundum diuinam ex Patre, Homo vero secundum assumptæ carnis naturam. *Sic veritas Christus est* (ait Augustinus) *vt totum verum accipiatur in Christo, verum Verbum Dei, Deus æqualis Patri, Vera anima, Vera caro, Verus homo, Verus Deus, vera natiuitas, vera passionum resurrectio.*

Athanas in fi. 4. dialo. de Trinit.

De vera innocentia. cap. 325.

Quinetiam hanc iudicii regulam, pię & orthodoxæ vetustatis, tradit Theodoretus, *quoties de naturis* (ait) *loquimur suum cuique tribuamus & sciamus quædam diuinitatis, quædam humanitatis esse propria. Quum autẽ de persona verba facimus, communicanda sunt naturarum propria, & hæc atque illa saluatori Christo tribuenda sunt, & idem appellandus est Deus & homo, Filius Dei & hominis, & Filius Dauidis, & sic de alijs appellationibus omnibus.* Simile est quod Ioannes Antiochenus ad Cyrillum post reconciliationem in hunc modum scribit, *Euangelicas & Apostolicas de Domino voces, scimus viros Theologos, tanquam ad vnam personam pertinentes, ratione duarum naturarum diuidere, & alias quidem, vtpote diuinitati competentes, ad diuinitatem Christi, alias verò humiles ad illius humilitatem referre. Hoc recepto complacuit inter nos, ad omnis cõtentionis amolitionem, & vt per orbem sanctis ecclesiis Dei pax restituatur, tollantúrque è medio offensicula.* Sic denique Augustinus, secundum vtramque Christi in vnitate personæ naturam, Deũ & hominem dici, luculenta explicatione declarauit. *Hanc vnitatem* (inquit) *personæ Christi, ex vtraque natura constantem, diuina & humana, vt qualibet earum vocabulum alteri impertiat, & diuina humanæ, & humana diuinæ, beatus ostendit Apostolus, inquiens, Christus cum esset in Forma Dei, non rapinam arbitratus est æqualem se Deo esse, sed exinaniuit seipsum, Formam serui acci-*

Theodor. dial. 1. & 3.

Ioan. Antioch. in actis concil. Ephesini.

Cur non idem faciũt Vbiquitistæ?

Contra sermo. Arria. cap. 8. de Trinit. & Vnit. Dei cap. 6.

Hic aduertant Vbiquistæ an Augustinus Christum sua maiestate spoliet.

pies. Et paulò post, *Verùm si quæramus quis est ille, qui cùm esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo? Respondetur nobis Apostolica voce, Christus. Ergo & illa diuinitas humanitatis nomen accepit. Item si quæramus quisnam factus sit obediens vsque ad mortem crucis? Respondetur ille qui cùm esset in fórma Dei, non rapinam arbitratus est, esse æqualē Deo, Ergo & ista humanitas illius diuinitatis nomen accepit. Apparet tamen idem ipse Christus gemineæ gigas substantiæ, secundum quid obediens Deo, secundum quid æqualis Deo: secundum quid Filius Dei, secundum quid, Filius hominis.* Item, *Quamuis in terra factus sit Filius hominis, diuinitatē tamen suā qua in cælo manens, descendit ad terram, non indignam censuit nomine Filij hominis, sicut carnem suam dignatus est nomine Filij Dei, ne quasi duo Christi accipiantur, alter Deus, alter Homo, sed vt vnus atq; idē sit Deus & homo; Deus, quia in principio erat Verbum, & Deus erat Verbū: Homo quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Eodem modo Fulgentius, *Verbum dignatum est caro fieri, vt posset caro, Verbi hoc est Dei, nomine nūcupari.* Item, *Qualiter autem Homo ille habere potuit Dei nomen, niſi quoniam à Deo susceptus, vnam cum eo possedit nominis dignitatem?* Item, *Ex eo, quòd Deus author vitæ hominem in vnitatem personæ susceperit, ex eo ille Homo nomen vitæ authoris obtinuit.*

Quomodo vocabula naturarum sibi inuicem tribuantur.

Totus Christus est Deus, sed non totum.

Lib. 1. de pecat. merit. & remiſ. cap. 3.

Secundum quam deitatem Christus homo sit personaliter Deus.

Fulgentius lib. de incar. ca. 10. & ad Traſi. lib. 3.

Non obstat denique quorundam admodum inscita cauillatio, qui hoc ipsum (quasi sic homo verbali prædicatione tantùm, & nō reali communicatione deitatis in natura, Deus esse dicatur) Nestorianū esse vociferantur, non veriti pro sua scilicet modestia, veteris Ecclesiæ patribus, qui contra Nestorium constantissimè scripserunt, hanc iniuriam irrogare. Nam etsi Nestorius hominem assumptum, propter eum qui suscepit & in ipso est Deum, tanquam susceptori coniunctū vocā cum illo Deū vocari, & cum diuinitate, tanquā diuinę auctoritatis cooperarium adorari dicat, tamen manifestum est eum hæc accipere de communi & à deitate seiūcto homine, cui Deum Verbum vnitum esse dicebat, secundum assistentiam & inhabitationem, vt alius esset, qui susceptori

Iacob. Andr. cōtra Betam fol. 115.

Cyrill. in Apolog. 9. Anathem. & de incar. Vnige. cap. 16. in fin. & ad Euoptiū. Thom. 3. part. ſum. q. 16. art. 1. & 2. & q. 35. art. 4.

prout Deo coniunctus vnà cum illo Deus vocaretur: sicut aliud esse dicebat Deum ex Virgine natũ, aliud natũ ex coniuncto esse. Verùm Cyrillus & Ephesini concilii Patres, naturas in Christo secundũ subsistẽtiam, atque hoc modo vnitas esse docebant, vt non alius à Deo Verbo, sed ipse Deus Verbum dicatur homo Christus, nõ in propria videlicet suæ naturæ, sed in æterna Verbi persona subsistẽs. Hæc quia non intelligunt, vel intelligere se dissimulant homines contentiosi, interim ambitioni suæ & animi morbo, in veritate obscuranda, sedulò inseruiunt.

AN DEVS DICATVR IN VNITATE *personæ passus, per realem prædicationem, & communicationem idiomatum.*

CAPVT IIII.

POSTQVAM ab Vbiquistis semel introducta est pro vnione personali realis idiomatum communicatio in naturis, ne quid omninò non controuersum maneret, etiam disputare cœperunt, Quomodo Deus in vnitate personę dicatur passus & crucifixus: quam etiam quæstionem suo pro more, cõflata subinde Cinglianis quos vocant inuidia, aduersus receptissimam & indubitatam scripturæ, & totius Ecclesiæ sentẽtiam definiunt. Negant enim audacter, admittendam esse verbalem prædicationẽ seu idiomatum communicationem, quum dicitur, Filium Dei in mortem esse traditum, & Dominum gloriæ crucifixum, sed verè passum esse ipsum in carne Deũ non solam in Deo carnem: passionem enim redundasse quodammodo in ipsam etiam diuinitatem, vt capropter non homo tantum, sed cum homine Deus passus sit & dicatur. Alioquin clamitant, & naturas diuelli, & Filium Dei ab opere redemptionis

D. Iacob. Andr. contra Bezã fol. 110. cum seq.

Fundamentum Vbiquistarum.

flagitiosa impietate segregari. Verùm quid non erit tandem istorum hominum calumniis obnoxiũ? Nititur autem hæc recens in Ecclesiam inuecta opinio falsissima imaginatione, quæ fingit diuinitatẽ Christi, qua verè & personaliter Deus est, non æternam illã Verbi cum Patre & Spiritu Sancto communem ἰσοωσίαν, sed deificati hominis, communicatam à Verbo diuinitatem esse, & secundum hanc dici Deum ex Virgine natum, & Dominum gloriæ crucifixum: ac per se quidem & ratione sui diuinitatem nec nasci nec pati nec mori, sed propter arctissimum vnionis vinculum, atque ipsius diuinitatis in humanam naturam factam communicationem & effusionem, vtrique naturæ hæc realiter accommodari, adeóque tori personæ attribui oportere. Atqui si inipsa vnitate personæ, naturæ per se & in suis proprietatibus consideratæ, non sunt vnitæ, sed intelliguntur extra rationem & nexum vnionis, quid hoc aliud est, quàm istiusmodi naturarum consideratione Christum in hominem seorsim, & Deum seorsim, per duas diuidere personas, & rursus in ipsa vnione, naturas confundere & permiscere? Non ita Synodus Chalcedonensis, quæ Christum in duabus naturis inconfusè, indiuisè, inseparabiliter, nusquam naturarum diuersitate euacuata propter vnionem, sed salua magis vtriusque naturæ proprietate, cognoscendum esse statuit. Et Tertullianus: *Videmus duplicem statum non confusum, sed coniunctum in vna persona Deum & hominem. Et adeò salua est vtriusque proprietas substantiæ, vt & Spiritus res suas egerit in illo, id est virtutes, opera & signa: & caro passiones suas functa sit.* Nõ igitur vnionem soluerit qui naturas per se, etiam in ipsa vnione consideratas, proprietatibus suis discernit: sed naturas verè vnitas non intelligit, qui eas non per se, hoc est in incõfuso proprietatum discrimine, sed in reali idiomatum communicatione considerat. Nec enim ex eo quòd personalem in Verbo subsistentiam habet humanitas Christi vlla fit proprietatum in natura immutatio, quia nihilominus

Iacob. And. in Apolo. fol. 25. & in Thesib. Tubing. & Brentius in recognitio. Idem ferè apud Marent. sen sit Nestor. dial. 2.

Sic Vigilius lib. 5. Cyrill. ad Successum Episc. Epist. 2.

Contra Praxeam.

Distinctio proprietatum non repugnat vnioni.

De fide ad Petr. ca. 2. Theod. dial. 2. in fine.

minus ſemper (vt ait Auguſtinus) *manet immutabilis humanæ naturæ veritas, quam ſibi vnitam diuinitas gerit.*

Mirandum eſt autem quum hoc ipſum dogma, de vtriuſq; naturæ in Chriſto paſsibilitate, ſeu paſſionis communione, iiſdem rationibus quibus nũc ab Vbiquiſtis (quòd non ſit videlicet incorporea diuinitas natura per ſe paſsibilis, ſed tamen vnione in carne paſſa, quoniam alioqui corpus à diuinitate diuelli, eóq; ſolo nobis parta ſalus eſſe videatur) apũd Theodoretum ab Eraniſta defenſum, contrà verò ſolidiſſimis ſcripturis & veteris Eccleſiæ conſenſu, non ab ipſo Theodoreto ſolùm, ſed & à Fulgentio & Vigilio confutatum legatur: tãtam eſſe iſtorum hominũ, audaciam, vt iam pridem agris atq; finibus Eccleſiæ profligatum errorem quaſi poſtliminio audeant reuocare. Scriptura corpus Chriſti mortem pro omnibus guſtaſſe, & per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſanctificatos nos eſſe, item carne paſſum eſſe Chriſtum affirmat: quia verò nomen Chriſti vtramque naturam complectitur, adiecta carnis mentione ſignificatur, ſecundum alteram, id eſt ſecundum carnis naturam duntaxat intelligi Chriſtum eſſe paſſum. Hanc enim ſeſe pro mundi vita datum dixerat ipſe Chriſtus. Ideo Theodoretus à ſymbolis Cœnæ dominicæ (quibus typum paſsionis in corpore ſuo oſtendit Chriſtus dicens, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur) probat paſsionem humanitati tantùm ipſius, non autem diuinitati eſſe tribuendam, quòd nimirum myſtica hæc ſymbola, non repreſentent diuinitatem in carne, vel carnis vnione paſſam. Neque tamen propterea conſequi vile ducendum eſſe Chriſti corpus, cuius typus venerabilis & ſalutaris habeatur. Hæc verò ſanè neſcio qua ratione conueniant cum Vbiquiſtarum portentis, qui ex perſonali vnione quam ſibi erroris opinione fingunt, corpus Chriſti, per communicatam diuinæ naturæ maieſtatem, & modum ſeſsionis ad dexteram, realiter in pane Euchariſtiæ præſens eſſe & exhiberi docent. Nam contrà ſic ſcribit Theodoretus, *Hoc quod accepit,*

Rationes Eraniſtis apud Theod. dial. 3.

Damnata eſt hæc ſententia in ſynodo 2. Hiſpalenſi.

1. Petr. 3. & 4. cap.

Caro Chriſti, quã pro mundi vita dedit, paſſa eſt & mortua.

Ioan. 6.

Myſteria corpus in mortem traditũ, non ipſam diuinitatẽ repræſentant.

Panis Eucharistiæ est corporis, & passionis in corpore typus.

fregit, & dedit Christus corporis sui, & passionis in corpore, typus est. Extant autem apud eundem Theodoretũ & Vigilium, atque etiam Magistrum sententiarum, erudita & luculenta in primis, veteris Ecclesiæ tam Græcæ quam Latinæ testimonia, quibus orthodoxæ fidei norma, hac in parte, quam significantissimè est exposita, vt eam ab Vbiquistis petere minimè sit necesse.

Athanas. apud Theod. dial. 3. & Cyrill. in defension 11. Anathem.

Athanasius *admiratione dignum esse ait quòd idem Christus passus sit & non passus. Passus, quia propriũ ipsius corpus, in quo erat, patiebatur: non passus, quia quũ natura sit λόγος, impatibilis est: quæ enim natura humana passa est ea sibi λόγος accommodauit, vt nos diuinitatis Verbi participes esse possemus. Sic corpore à mortuis excitato, Filius dicitur à Paulo ex mortuis excitatus. Nam quæ corporis ipsius propria sunt, de tota persona dicũtur.* Idem, *Sicut corpus illud animatum quod sibi Verbum vniuit, proprium ipsius corpus est, non natura, sed secundum œconomiam & dispositionem: ita quoque passio atque mors ipsius esse dicitur, non ratione naturæ quæ omnis passionis est expers, sed secundum vnitionis œconomiam.*

Verbalis idiomatum communicatio. Dialog. 4. de Trinit. Sicut caro ita passio carnis, Verbi propria.

Amphilochius iubet discerni naturas, humanam & diuinam, & carni passiones, & miracula Deo assignare. *Quia Deus & homo est Christus, Deus per sublimia, Homo autem per humilia.*

Theo. dial. 1. & 3.

Eusebius Emissenus negat piè dici posse, diuinitatem Verbi compassam esse carni, & quòd Filius Dei in morte traditus esse dicitur, ita vult intelligi, quemadmodum caro Filii Dei de cælo dicitur descendisse, quia videlicet assumens potentia descendit de cælo. Ita quod ei propriè competit, hoc imputari carni, & vicissim quæ patitur caro, ea imputari potentiæ, quo demum modo, omnes passiones quæ acciderunt corpori, referãtur ad inhabitantem λόγον.

Mutua idiomatũ cõmunicatio.

In Epist. ad Nestoriũ. Cyrill. consentit cum Athanasio quem est secutus, & insaniæ damnat Vbiquistarum dogma.

Et Cyrillus, *Quemadmodum propter carnem Verbi, per assumptionem in vnione propriam natiuitatem carnis suam facit Deus Verbum, sicq; Deus ex Virgine dicitur natus, ita quoque Deus passus & resurrexisse dicitur, non secundum naturam Verbi, sed quia proprium illius & non*

alterius

alterius à Deo Verbo, corpus est quod passum est. Inerat enim in corpore, quod patiebatur Deus, qui pati non poterat, quo ad naturam. Insania est enim hoc vel sentire vel dicere. Eodem modo, resurgente carne, Filium Dei resurrexisse dicimus, quia ipsius est & non alterius quod resurrexit corpus, & ita Christum vnum Deum & hominem confitemur. Item, *Quia proprium eius corpus factum est, quòd ex beata Virgine assumpsit, eam ob causam, carnis passiones ipsius esse dicimus dispensatiua quadam appropriatione, seruata vbique natura impassibili. Quãdo igitur Deus carne dicitur pati, non ipse in propria natura pati intelligitur, sed quia ipsius factum est vnitum corpus.* Item, *Frustra metuitur, ne quis passibilem Filij naturam faciat, quando carne dicitur pati. Propriæ enim fiũt proprij corporis passiones, aliud est autem dicere, pati in carne, aliud simpliciter pati diuinitatis naturam, quia idem Deus simul & homo, impassibilis quantum ad diuinam attinet naturam, passibilis verò secundum humanitatem.* Item, *Sic illum dicimus passum esse & resurrexisse, non quia Deus Verbum in natura sua fit passus, sed quia corpus illud quod ipsius proprium factum est per assumptionẽ, sustinuit pro nobis passiones.* Perspicua hæc Cyrilli declaratio est, quæ nihil habet incommodi, si absit depratatio. Vult enim ea quæ corporis propria sunt, non passiones solùm, sed & visibile & circumscriptum esse, atq; alia eiusmodi omnia, incarnato Verbo hoc sensu & hac intelligendi ratione per dispensationem accommodari, quòd corpus Christi non communis alicuius hominis, nec in temporali suæ naturæ propria, sed vt Dei Verbi corpus, in æterna Verbi persona subsistat: vnde, quum necesse sit dicere Christi corpus esse passum & mortuum, etiam confiteri oporteat Deum esse passum & mortuum, quia propria ipsius & non alterius personæ caro passa est & mortua.

Ad Euoptium defens. 1. Anathem.

Vt caro ita & passio carnis Verbi est propria.

Dispensatiua appropriatio passionis. De incarnat. Vnig. ca. 26.

Vt Deus & homo, sic proprietates discernuntur.

Contra Nestorium.

Propter corporis verbi proprium, Deus est homo localis, visibilis, mortalis, & tangibilis. Ignatius Epist. 8. August. lib. de Essent. diuin. in fin. Cyrill. declar. Anath. 3.

Et Theodoretus, *Dominus gloriæ est qui crucifixus est. Non enim communis alicuius hominis, sed diuinæ gloriæ corpus ligno affixum fuit. Sciẽdum est enim, quòd Vnio communia facit nomina, sicut carnem Domini de cælo descendisse dicimus. Nam etsi diuina quidem natura de cælo descendit, Filius tamen hominis vocatur, propter vnionem,*

Ex dial. 2. & 3. coll. cta

Per vnionem non fit communicatio proprietatum in naturis.

& ita conuenit dicere ligno quidem affixam esse carnem, confiteri tamen à diuina natura non esse separatam, tam in cruce, quam in sepulchro, neque propterea passionis fuisse consortem, quia nec pati nec mori potest. Et sic Dominus gloria nominatur qui crucifixus esse dicitur, quum impatibilis naturæ nomen patibili attribuitur. Nec metuenda est propterea vlla ipsius corporis à diuinitate segregatio: quia ad differentiam respicientes naturarum, considerare oportet, quid conueniat diuinitati, & quid accommodatum sit corpori, vt suum cuique tribuatur. Crucem enim, passionem & mortẽ audientes, & diuinitatis & humanitatis vnionem, cogitare oportet de natura quæ passionis est capax, nec ea impatibili naturæ adscribere, sed illi tantum, quæ hanc ob causam est assumpta.

Verbalis prædicatio. Personalẽ carnis passionem non soluitur vnio personæ.

Eadem est Latinæ Ecclesiæ Patrum doctrina. Damasus apud Hieronymum: *Secundum illud passus est, quod pati poterat, id est, non secundum illam substantiam, quæ assumpsit, sed secundum illam quæ assumpta est.*

Et Hilarius, *Vidésne Deum & hominem ita prædicari vt mors homini, Deo verò carnis excitatio deputetur? naturam Dei in virtute resurrectionis intellige, dispensationem hominis in morte cognosce. Et quum sint vtraque suis gesta naturis, vnum tamen Christum esse memento, qui est vtrunque.*

Citat Vigilius lib. 5. & Theod. dial. 2. Propria cuiusque naturæ operatio.

Idem sensit, vt ex iis quæ superius dicta sunt apparet, etiam Gelasius contra Nestorium & Eutychetem, minimè propterea naturas cum Nestorio diuellens.

Et Ambrosius, *Generalis est ista fides. Quia Christus est Dei filius, & natus ex Virgine, geminæ naturæ cõsors est, diuinitatis & corporis. Idẽ ergo patiebatur & non patiebatur, moriebatur & non moriebatur, resurgebat, & non resurgebat: resurgebat secundũ carnẽ quæ mortua fuerat, non resurgebat secundũ Verbum quod semper apud Deum manebat.* Item, *Quòd caro Verbi patiebatur, manens in carne Verbũ in sese pro corporis assumptione referebat, vt pati diceretur, quia caro patiebatur, sicut scriptum est, Christo in carne passo.* Item, *Destruitur Christus secundum meam essentiam quam assumpsit, &, destructum instaurat templum secundum diuinam essentiam, secundum quam omnium fabricator*

Citat Magist. sent. lib. 3. 21. dist. in fine.

Hic nulla Christi alia diuinitas est, quam Verbi.

Citat Theodo. in Expos. fidei.

dicatur est. Nec vnquam post vnionem, qua in conceptione sibi nostram naturam copulare dignatus est, discessit à suo templo. Idem, *Est patibilis secundum humanitatem, impatibilis secundum diuinitatem.* Item, *Quum Dominus maiestatis crucifixus dicitur, non quasi maiestate vel gloria sua crucifixum putemus, sed quia idem Deus per diuinitatem Deus, per susceptionem carnis homo Iesus Christus, Dominus maiestatis dicitur crucifixus, quia consors vtriusque naturæ est, diuinæ & humanæ. In natura hominis subijt passionem, vt indiuisè & Dominus maiestatis dicatur esse qui passus est, & Filius hominis (sicut scriptum est) qui descendit de cælo.*

Lib. ad Gratia. 2. cap. 4

Maiestas hominis Christi, non est communicata & inhærens humanæ naturæ diuinitas, sed Dei verbi propria.

Et Augustinus: *Quicquid patitur caro vnita verbo, debet dici Deus pati, licet Verbum nec pati nec mori posßit, sed quicquid horum passus est, in carne passus est.* Item, *Filius hominis, secundum Deum erat in cælo, & Filius Dei, secundum hominẽ crucifigebatur in terra. Sic ergo rectè potuit dici Deus gloriæ crucifixus, quum ad solam carnem illa passio pertineret.* Item, *Hæc caro, quam Deus Verbum ex Maria Virgine sibi vnire dignatus est, sine peccato concepta & nata est, secundum quam Deus æternus conceptus, natus, & Dominus gloriæ crucifixus est.* Item, *Christus mortuus est, qui & resurrexit, nec tamen ideo vtrumq; ex vno, sed ex singulis singula, in vtroque tamen ipse compleuit, dum vnus atque inseparabilis tam diuersa compleuit. Vno mortem gustauit, altero mortuos suscitauit: sicq; se Deum & hominem, non geminata persona, nec substantia confusa monstrauit.* Item, *Vna persona Deus & homo est. si naturæ distinctionem attendas, Filius Dei de cælo descendit, & Filius hominis est crucifixus: si vnitatem personæ, Filius hominis descendit de cælo, & Filius Dei est crucifixus. Propter hanc vnitatem personæ, Filius hominis dicebatur esse in cælo, quum loqueretur in terra.*

Citat. Magist. sentent.

Epist. 57. ad Dardan: & Epist. 102.

De fide ad Pet. cap. 2. lib. de essent. diuin. in fin. tract. 169. in Ioan.

Nota actiones in vnitate personæ, per naturas discerni.

Contra Maxim. lib. cap. 20. & c 3. Arria. cap ont sermo. 8.

Vnitas personæ.

Fulgentius autem hanc vtriusque naturæ in Christo passionis cõmunionem, tertio suo libro ad Trasimundum, vt nominatim ita accuratè admodum cõfutat. Est autem pulcherrima & memoratu digna sententia, qua vnitatem personæ in duabus naturis sic agnoscendam esse scribit. *Hæc igitur inseparabilis personæ vnitas, in qua Deus & homo, vnus est Christus, se-*

Ex sententia Affricanæ Ecclesiæ.

Hæc gratia vnionis, non eſt realis communicatio in naturis.

cit, vt homo Chriſtus, per gratiam naſceretur ex Deo, ſalua veritate & plenitudine humanæ naturæ, & idē Deus Chriſtus, voluntariè pateretur in carne, ſalua impaſsibili plenitudine diuinæ ſubſtantiæ. Vnus eſt igitur Chriſtus, in quo crucifixo vera fuit infirmitas carnis, in quo viuente virtus vera claruit Deitatis, quod humanum eſt habens Deus in veritate humanæ, & quod diuinum eſt habens homo in veritate diuinæ ſubſtantiæ. Hinc incomprehenſibilis in cruce, inuiolabilis in vulnere, impaſsibilis in paſsione, & immortalis prædicatur in morte. Hæc autem dum quidam minus attendunt, Diuinitatem Chriſti non dubitant ſubiicere paſsioni: & audientes Chriſtum in carne paſſum, putant Deum carni fuiſſe compaſſum. Et forſitan dicitur, Chriſtum ideo carne paſſum prædicari, quia diuinitas quæ ante carnem pati non potuit, paſsibilem ſuſcipiēs carnem, paſsionem quoque in carne perſenſit, quia per ſuſceptionē paſsibilis carnis, ipſa impaſsibilis permanere non potuit. Quod ſi ita eſt, mutabilis aſſeritur diuinitas Chriſti. Reſtat igitur, vt diuinitatem Chriſti, quam immutabilem ſancta ſcriptura commendat ſic paſſam fateamur in carne, vt eam tamen credamus cum carne compaſſam non fuiſſe. Ideo enim Deus in carne paſſus eſt, quia paſsibilem carnem accepit, ideo autem carni compaſſus non eſt, quia in carne patiens, impaſsibilis natura diuina permanſit. Communem paſsionem diuinitatis & carnis vnitas perſonæ in Chriſto fecit, non diuinæ humanæq; naturæ confuſio. Propter hanc vnitatē perſonæ, Dominus gloriæ dicitur crucifixus: propter hanc vnitatem perſonæ, author vitæ dicitur interemptus. Quis autem quemlibet alium hominem vitæ authorem diceret, niſi pro nobis Deus hominem ſuſcepiſſet? Ex quo igitur Deus vitæ author hominem in vnitate perſonæ ſuſcepit, ex eo ille homo, nomē vitæ authoris obtinuit. Sicitaque Filius Dei ſecundum id quod natus eſt de homine, dictus eſt Chriſtus, Et homo ille Deus dicitur, pro eo quod eſt à Deo ſuſceptus. Qualiter autē homo iſte habere potuit Dei nomen, niſi quoniam à Deo ſuſceptus vnam cum Deo poſſedit nominis dignitatem? Item, Aliud eſt in carne paſſum Deum dicere, aliud carni compaſſum prædicare. Paſſus eſt Deus in homine, quia vna eſt Dei hominiſque perſona: non eſt compaſſus Deus homini, quia in vno Chriſto, non eſt confuſa Dei hominiſque ſubſtantia.

Chriſtus in ipſa vnione impaſsibilis eſt ſecundum diuinitatem.

Intendit digitum ad Vbiquiſtas.

Diuinitati nulla accedit mutatio per vnionem.

Quomodo Deus in carne paſſus.

Vnitas perſonæ.

Quomodo homo Deus author vitæ.

Hæc nihil ad communicatam diuinitatem.

Epiſt. ad Heb.

Item,

Item, *Non diuisit Christus Apostolus, sed ostendit in vno Christo quæ substantia passibilis & mortalis fuerit, quæ autem impassibilis immortalisque permanserit. Sine Deo igitur Homo ille gustauit mortem, quantum ad conditionem attinet carnis, non autem sine Deo, quantum ad susceptionem pertinet Deitatis.* Item, *Scriptura mortuum pro nobis dicit Christum, nõ corpus Christi, vt vnitatem personæ Dei hominisque seruaret. Vt autem substantialem proprietatem deitatis & humanitatis ostenderet, alio loco dicit, Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, viuit tamen ex virtute Dei, hoc est, æterna Verbi diuinitate, quà virtus est & vita, & quà sicut Pater viuit. Vbi constat, infirmitatem passibilitatis humanæ, cum diuinæ virtutis impassibilitate non confundi.* Item, *Quia verum hominem Deus suscepit, ideò iuncta humanæ naturæ, infirmitates veras quidem, sed voluntarias, in eadem veritate naturæ duntaxat humanæ sustinuit. Vnus ergo idémque Christus, in humanitate quæ humana sunt sensit, in diuinitate autem impassibilis immortalisque permansit. Verumtamen quiã sola caro moreretur, & resuscitaretur in Christo, propter vnitatẽ tamen personæ Dei & hominis, Filius Dei dicitur mortuus & resurrexisse. Non enim diuiditur Christus.* Item, *Vnus idémque est, faciens in hominibus virtutes, & sustinens pro hominibus passiones, quia quum miracula secundum diuinitatem faceret Christus Dei Filius, in eodem Deo passibilis fuit humanitas sua. Et quum pateretur secundum carnem, idem Christus Dei Filius, in eodem homine fuit impassibilis diuinitas sua. Quia enim in Christo Dei vnigeniti Filio, personã non diuidunt propria naturarum, neque vnitas personæ potest vtriusque naturæ propria confundere vel auferre, propterea neque in passionibus, ab illa humanitate Christi, diuinitatem suam impassibilem seiungimus, neque ab illa diuinitate, humanitatem suam vllatenus separandam, in virtutibus æstimamus. Neque ergò diuidimus, neque confundimus in virtutibus & proprietatibus Christum. Quia personalis vnitas in eo diuisionem non recipit, & vtriusq; naturæ veritas inconfusa persistit.*

Hic naturæ in vnione per se considerantur salua cuiusque proprietate.

Infirmitas carnis, & virtus Dei, distinguũtur naturarũ proprietate.

Sola humanitas in Verbo subsistens est passa.

Vni naturæ propriũ de tota persona dicitur.

Lib. de incarnat. cap. 11. & Aug. con. Felicia. cap. 10.

Respõsio ad obiectionem Vbiquistarũ de distractione naturarum.

Idem Vigil. lib. 5.

Hic est igitur veteris & primitiuæ Ecclesiæ patrũ consensus, cuius falsò vsurpata authoritate, nouum atque ignotum piæ & eruditæ antiquitati dogma

Iacob. And. in præfat. Thesi Tubing.

ſuum, imperitis primum venditare, & plauſibili hac ſpecie, emendicatis paſsim ſuffragiis munitum violenter eccleſiis obtrudere conati ſunt, & adhuc conantur Vbiquiſtæ. Quibus optimo iure ex Theodoreto obiici poſſet, an non piaculum iis eſſe videatur, contra hos quos modò recenſui, blaſphemam agitare linguam. Auguſtinus, vt apparet, ex reliquorum patrum conſentiente ſententia, ſic Deum dicit intelligi paſſum ſicut Filius hominis de cælo deſcendit, & quum in terra loqueretur Nicodemo dici poterat eſſe in cælo, nempe propter perſonæ videlicet vnitatem, qua Chriſtus interdum ex altera tantùm natura denominatur. Et tamen ſunt ex Vbiquiſtis, qui hanc ſimplicem & veram perſonalis vnionis explicationem Neſtorianæ impietatis condemnare non magis verentur, quàm veteris ſe Eccleſiæ hoſtes profiteri.

In Epiſt. ad Darda. & cont. ſermo. Arria. ca. 8. & tract. 47. & 78. in Ioan.

Iacob. And. fol. 110. & ſeq. cont. Bezam.

I. Argumenta Vbiquiſtarum.

Videamus tamen quibus vtantur præſtigiis, vt fucum faciant: Deus eſt, inquiunt, in carne paſſus, Ergo perſona paſſa eſt, vtriuſque naturæ communione. Reſpondeo ex Scriptura, Chriſtum carne paſſum, & corpore pro nobis mortem guſtaſſe: Deum autem in carne paſſum quum Scriptura non dicat, ideò veteres non ſimpliciter hanc loquutionem, ſed eum vera & orthodoxa, quæ ſuprà expoſita eſt explicatione admiſerunt. Poteſt enim hoc dupliciter intelligi. Primò, vt hac propoſitione modus & cauſa paſsionis velut in ſubiecto denotetur, quòd videlicet impaſſibilis quidem in ſe & ratione ſui diuinitatis natura ſit, ſed tamen ipſa carnis vnione & copulatione ſit paſſa, vt apud Theodoretũ Eraniſtes, & hodie ferè intelligunt Vbiquiſtæ. At hoc ſenſu non eſt recepta hæc loquutio, ſed conſtanter à Patribus refutatã. Nam ſi aliter ſe habet ad recipiendã carnis paſſionem diuinitas in vnione quàm extra vnionem conſiderata, mutationem & alterationem in ea, adeóque naturarum permixtionem fingi & admitti oportebit. Ideo Scholaſtici, Deum per communicationem idiomatum ſecundum humanitatem paſſum, non per eſſentiam, aut inhærentiam diuinæ naturæ

Theodor. Vigil. & Cyrill. declarat. cap. 12. conſil. Epheſ.

Deus non eſt in carne paſſus, hoc eſt, propter carnis vnionem conſors paſsionis in natura. Sic ſup. Fulgent.

Bonauent. lib. 3. diſt. 21. art. 2. q. 3.

turæ vt in ſubiecto intelligi debere docent. Secundò ſic intelligi poteſt, Vt paſſio ipſius carnis in vnitate perſonæ Verbi deſignetur, quia non communis & per ſe hominis, ſed Dei Verbi ſecũdum ſubſiſtentia propria caro eſt paſſa: quo ſenſu & intelligendi modo, Cyrilli declaratio eſt recepta, & ab Epheſini concilii Patribus approbata.

Deus carne paſſus, hoc eſt, propria Dei caro eſt paſſa, Cyrill. Epiſt. 2. ad Succeſſum.

Quòd igitur obiiciunt, niſi eorum ſententia concedatur, naturas in vnitate perſonæ diſſolui, eâdem temeritate aſſeritur, qua noua hæc perſonalis vnionis ratio in reali idiomatum communicatione ab eis conſtituitur: & ex eodem errore naſcitur ex quo apud Theodoretum Eraniſtes propter hanc naturarum diſſolutionem quam ſubinde inculcabat, nolebat ſua cuique naturæ propria attribui. Sed hæc cauillatio puerilis non modò ab Auguſtino & Theodoreto, verùm etiam prolixè admodum & grauiter refutata eſt à Fulgentio & Vigilio. Imò ne ſic quidem ſenſerunt Scholaſtici, qui in explicanda perſonæ Chriſti paſsione & morte, & quomodo per hanc indiſſoluta manſerit vnio, duplicẽ in Chriſto vitam fuiſſe intelligi docent: aliam diuinam & æternam Verbi, qua ſeipſo viuit, & omnium vita eſt Chriſtus: aliam quæ eſt naturæ humanæ aſſumptæ. Hac autem vita, vt corpus & anima propriè & formaliter viuere dicũtur, Verbum verò eorum aſſumptione per communicationem idiomatum, ſecundum quam proprietates & actiones naturæ aſſumptæ, cõmunicantur perſonæ aſſumenti, vt ſic Verbũ viuere nõ ſit aliud, quàm in natura viuente ſubſiſtere: ita per contrarium, humanitas aſſumpta per ſeparationem corporis ab anima, propriè dicitur mori, Verbum verò per communicationem idiomatum, quia deſinit ſubſiſtere in natura aſſumpta viuente quatenus viua. Atque hinc conſequi docent ſeparatione animæ Chriſti à carne, nõ ſolùm humanitatẽ Chriſti, ſed & ipſum Chriſtũ verè dici poſſe eſſe mortuum, quòd verè dicatur mori qui vita quam habuit priuatur. At non ſolùm humanitas, ea quam naturaliter habuit, ſed & Verbum aſſumptæ naturæ

II.

Magiſt. ſenten. & Gabriel. Biel. lib. 3. diſt. 22

Duplex Chriſti vita.

Quemadmodum Verbum viuit vita naturæ aſſumptæ, ita dicitur carne mori.

Verbum verè mori dicitur, non ſua, ſed aſſumptæ naturæ vita, quatenus ea Verbi per vnionem eſt propria.

ſuæ vita priuatum fuit, eo ipſo quòd deſiit (vt dictum eſt) in natura viuẽte ſubſiſtere. Vnde quemadmodũ mortuum eſſe verè dici poſſet de propria humanæ naturæ perſona, ſi in Verbi ſubſiſtentiam non eſſet aſſumpta: ita quoque verè prædicatur per communicationem idiomatum, de perſona Verbi, cuius per aſſumptionem facta eſt propria humanitas in Chriſto mortua. Hæc, vt opinor, nihil prorſus cùm Vbiquiſtarum deliramentis cõmune habent, qui in cruce pendentẽ Chriſtum, corpore ſuo, vno tantùm loco, ſecundum ſerui formam mortuum, ſed interim in eadem carne & humanitate, ad cælos euectum, in Dei forma & maieſtate, viuum vbique ad dexteram extitiſſe pluſquam Manichæa abſurditate fingunt.

Eadem ratio eſt omnium proprietatũ humanæ naturæ.

Iacob. And. in protocoll. Heidel. fol. 95.

III. Diuinitas non excluditur ab opere redemptionis.

Denique quid neceſſe hîc eſt metuere, ne diuinitas Chriſti ab opere redemptionis excludatur, eique verbotenus tantùm redemptio & ſalus adſcribatur? An enim hoc modo redemit nos Dei Filius, quòd paſsionem & mortem realiter in diuinitate ſua ſuſtinuit? Non eſt profectò opus ſalutis & redemptionis, tantùm pati & mori, ſed & eum qui mortis habebat imperium deſtruere. Sic igitur Hilarius: *Tametſi Chriſtus in partu ac paſsione noſtræ naturæ rem peregit: res tamẽ ipſas omnes diuinitatis ſuæ virtute geſsit.* Et Auguſtinus, *Chriſtus moriẽ guſtauit, quia verus homo eſt: idemq; moriẽ deglutiuit, quia verus Deus eſt. Ita enim, vt Apoſtolus ait, mortuus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex Dei virtute.* Item, *Quum caro animam poſuit, & vt reſurgeret animam ſumpſit, non poteſtate carnis hoc factum eſt, ſed eius qui & animam & carnem, vbi hæc adimplerẽtur aſſumpſit.* Quomodo igitur, citra euidentem calumniam ab iſtis dici poteſt, verbotenus tantùm redemptorẽ à nobis prædicari Chriſtum, cuius proprium corpus in mortem pro nobis traditum, & cuiuis corporis propria diuinitate mortem ſuperatam credimus? dicente Auguſtino, *Proprio carnis, Vita mortem guſtauit: & proprio Deitatis perpetuam reddidit carnem.* Imò tantum abeſt, vt ab opere redemptionis, hac inconfuſa proprietatũ diſtinctione in naturis, diuinitas Chriſti excludatur, vt propterea multò magis, & Chriſti natiuitatẽ, volun-

Theod. dial. 2.

Libr. de fide ad pet. cap. 2.

Tractat. 47. in Ioan.

Contra Felicianum cap. 10.

& voluntariam mortem,& reſurrectionẽ,cęteráque omnia quibus ſalutis humanæ reparatio continentur, ipſius Dei Verbi adeóquo totius trinitatis opus eſſe ſit concedendum. *Nam ſi dominicæ incarnationis myſterium vnà cum indiuiduæ trinitatis cooperatione conſideres*(ait Auguſtinus)*idem ſibi in hac humilitate auctor & opus eſt. Fecit carnem in vtero matris, habes auctorem operis: ipſe in hac naſci dignatus eſt, habes opus auctoris. Vna tamen perſona eſt, ſalua vtriuſque proprietate ſubſtantiæ, & auctoris & operis. Sic ergo mortuus eſt, non diſcedente vita, ſicut paſſus non pereunte potentia. Et, vt generaliter concludam, quoties in carne Chriſtus aliquid patitur, opus auctoris eſt, ſed quia id ipſum ſua poteſtate, non alio cogente patitur, ipſe auctor eſt operis. Erat ergo vno eodémque tempore ipſe totus etiam in inferno, totus in cælo, Illic patiens iniuriam carnis, hic nõ relinquens gloriam deitatis. Erat apud inferos reſurrectio mortuorum: erat ſuper cælos Vita viuentium: verè mortuus, verè viuus, in quo & mortem ſuſceptio mortalis naturæ excepit, & vitam deitas ſeruata non perdidit. Quotieſcunque ergo hæc quæ in Chriſto humiliter ſunt tolerata, conſideras, ipſum auctorem voluntariæ paßionis agnoſce. Ita fiet vt dum humilitas patienti, virtus vero adſcribitur facienti, idem Chriſtus, vno atque eodem tempore quum patitur infirmus, quum facit omnipotens doceatur.*

Aug. lib. de vnit. & trinit. cap. 9. & cont. Felicia. cap. 14. & ſerm. 63. de Verb. Domi.

Vnitas perſonæ.

Sic diuinitas in paſſione humanitatis nõ remouetur ab opere redemptionis.

In mortis paſsione, idem Chriſtus & patiens & faciens fuit.

Sic & Fulgentius de redẽptione noſtra, per Chriſtum in vtriuſque naturæ proprietate facta, pulcherrimè ſcribit: *Abſit vt quiſquã catholicus credat aut dicat quòd vnigenitus Deus ſuo nos ſanguine redempturus, in ea carne, qua factus eſt homo, humanæ conceptionis reſpuerit initia, quum in eadem carne, ipſe Deus immortalis permanens, humanæ mortalitatis paſſurus fuiſſet extrema. Sicut enim carne moriens immutabilem atque naturalem ſui ſtatum Deus verus & viuus non perdidit: ſic idem Deus vniuerſus naturaliter & æternus, quũ parua carne conciperetur, naturali ſua immortalitate non caruit, & cum temporaliter carne naſceretur, æternitatem naturalem, qua ex Deo patre eſt, non amiſit. Quia Vita illa ſuum eſſe voluit quem in carne ſuſcepit obitum. Et æternitas illa, ſuum habuit in matre conceptum. Verbum igitur Deus, vnigenitus*

Libr. de Incarnat. & grat. cap. 4.

Immutabilis Deitatis ſtatus in Chriſto.

Deus parua carne cõceptus per vnionem.

Sicut æternitas ex Virgine nata, Ita Deus dicitur paſſus.

Dei filius, ſecundum humanam naturam concipi carne nō abnuit, ſicut eadem carne moriens Deus, humanæ naturæ debitum finale perſoluit. Nullatenus nanque humana natura ad auferendum mundi peccatum ſufficiens atque idonea fieret, niſi vnione Verbi, non naturali confuſione, ſed ſolùm perſonali vnitate tranſiret. Verbum quippe quum caro fieret, admirabili vnitione ſuam fecit naturam, quam ex nobis accepit, in qua tamen vnitione deifica, Verbi diuinitas non eſt mutata in carnē, veráque humanitas naturalem prorſus retinuit noſtri generis veritatem. Item, *Deus verus niſi idem & verus homo fieret, mortem guſtare non poſſet: & idem homo qui mortem guſtauit, niſi verus Deus & vita æterna eſſet, mortem uincere nō poſſet. Excepto igitur illo, quiſie homo eſt vt idem ſit Deus, quis eſt homo qui deſtruxit mortem? aut quis eruit animam ſuam de manu inferi? Proinde vnigenitus Deus vnus & verus ſecundum carnem, quam ex nobis accepit, ſicut conceptus & natus eſt, ita etiam mortuus reſurrexit, quia veniens quærere & ſaluum facere quod perierat, traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Mors autem Filij Dei quam ſola carne ſuſcepit vtramque in nobis mortē animæ ſcilicet & corporis, deſtruxit: & reſurrectio carnis eius gratiam nobis ſpiritualis & corporalis reſurrectionis attribuit, vt prius iuſtificati per fidem mortis & reſurrectionis Filij Dei reſuſcitaremur ab infidelitatis morte. Nec ob aliud Deus verus & vita æterna, mortem noſtram dignatus eſt accipere deſtruēdam, niſi vt nobis in eius reſurrectione credentibus, vitam ſuam donaret ſine fine manſuram.* Item, *Verbum Chriſtum in paßionibus & virtutibus nec confundit fides vera nec diuidit: quia perſonalis vnitas in eo diuiſionem non recipit, & vtriuſque naturæ veritas inconfuſa exiſtit. Traditus eſt enim propter peccata noſtra, quia verus homo eſt & reſurrexit idem homo Chriſtus, propter iuſtificationem noſtram, quia verus Deus eſt. Niſi enim idem homo verus eſſet, tradi moríque non poſſet. Et idem verus homo ſi verus Deus non eſſet, reſuſcitare ſeipſum, ſolutis inferni doloribus nequiuiſſet. Sed quia non eſt alter Deus alter homo, ſed idem vnus eſt Chriſtus Deus homo, profectò idem Deus Chriſtus eſt, qui mortē ſuā carne ſuſcepit, & idē homo Chriſtus, qui mortē ſua diuinitate*

Deifica vnio fit, ſalua noſtræ naturæ proprietate.

Filius Dei ſola carne paſſus & mortuus.

Cap. 11.

Opus redemptionis in indiuiſæ perſonæ vnitate.

Qualis Chriſti vera diuinitas.

tas destruxit, vt & naturalis in Christo agnosceretur moriendi infirmitas, & naturalis inesset morieti maiestas. Sacramentum personalis vnionis.

Item, Hoc magnum pietatis sacramentum est in quo vnigenitus Deus verus homo verus dignatus est fieri, & aeternus temporaliter nasci, & impassibilis pati, & immortalis mori, & immensus, non solùm praesepis cum nasceretur, verùm etiam sepulchri cum moreretur, paruitate cõcluds. Quae omnia secundum veritatem carnis vera sunt in Dei filio, quia manente in eo inconfusibiliter atque inseparabiliter humana diuinaque natura, vna est filij Dei Iesu Christi, in vtriusque naturae veritate, persona. Filius Dei propter veritatem carnis, vt homo ita passibilis mortalis & circumscriptus dicitur in vnitate personæ.

Hæc Fulgentius, quem constat diuinitatem Christi, quamuis à passionum & mortis communione omnino immunem, non tamen facere alienã, ab opere redemptionis. Magister sententiarum, veteris ecclesiæ doctrinam hac parte sequutus, reconciliationis nostræ per Christum opus, sic vtriusque naturæ proprietate in eo discernit, vt redemptor sit Christus, inquantum Deus, auctoritatis & potestatis vsu, inquantum homo, propter exhibitionem humilitatis & obedientiæ, qua in se compleuit ea per quæ iustificati sumus, ipsam verò iustificationem effici potentia deitatis, quam habet cum patre & Spiritu sancto communem. Lib. 3. dist. 19. vbi Scholastici. Iustificatio fit potentia deitatis.

Est igitur ex immota Scripturę veritate, & perpetua Ecclesiæ fide, secundum alteram & carnis suæ naturam tantùm, passus & cruci affixus Christus. Et quòd Deus vel vnigenitus Dei filius, passus & in mortem traditus esse dicitur, nõ reali proprietatum cõmunicatione, atque ex hoc nouo & planè impio ac blasphemo Vbiquistarum commento, est intelligendum & explicãdum, quasi communicata quædam & inhærens humanæ naturæ, velut Dei forma, diuinitas, hac carnis vnione sit passa: sed ipse verbum ab æterno & essentia Deus, eo quo supra dictum est vero & orthodoxo sensu, nec enim de hac diuinitatis communicatione sensuit Augustinus, quum de Deo in vnitate personæ passa sic scribit, *Propter istam vnitatem personæ, in vtraque natura intelligendam, Filius hominis dicitur de cœlo descendisse; & Filius Dei dicitur* Diuinitas Christi secundum Vbiquistas.

Lib. de trinit. & vnit. Dei cap. 6. cont. serm. Arria. cap. 8. Secundum quam diuinitatem Christus sit Deus.

crucifixus & sepultus, quamuis hæc non in ipsa diuinitate, quæ est vnigenitus Patri coæternus, sed in humana natura sit infirmitate perpessus. Per hanc vnitatem personæ Christi, ex vtraque natura sic constantem, quælibet earum vocabulum alteri attribuit, diuina humanæ, & humana diuinæ.

Sic verò iusto Dei iudicio fieri oportuit, vt dum contra verba & sententiam Christi tam obstinatè ac præfractè cõquisitis hinc inde argumentis defenditur realis ac corporalis existentia corporis Christi, tandem etiã æternam Dei Verbi diuinitatem communione passionũ carnis affici: & ipsam vicissim carnem, diuinarum effusione proprietatum deificatam, omnipotentem, incircumscriptam & omnipræsentem docere necesse fuerit, vtrumque nec Scripturæ nec piæ vetustatis, sed Apollinaris & Eutychetis exemplo, atque adeò cum manifesta articulorum fidei corruptela.

RESPONSIO AD ARGVMENTVM *Vbiquistarum, de omnipræsentia carnis ab vnione personali.*

CAPVT V.

SIC colligunt Vbiquistæ: Si humana natura in Christo, non est simul vbicunq; est diuina, Ergo sequitur distractio naturarum, & vnitatis personæ diuisio.

Hoc argumentum, vt ex suprà dictis intelligi potest, tristissimarum controuersiarum, de multis fidei articulis, & magnæ dissensionis in Ecclesia causa iam extitit. Quidam autem eo tantùm vruntur ad corporalem Christi præsentiam & manducationem in Cœna stabiliendam: qui tamen sane videntur non satis intelligere, quid agant. Ex hoc enim argumento vel concedi necesse est, ante institutum sacræ Cœnæ mysterium, & nunc quoque extra ipsius vsum, corpus & humanam naturam Christi cum diuini-

ritate ſemper vbique fuiſſe, & nunc quoque eſſe, quia quod ad conſtituendam & conſeruandam indiſolubilem duarum naturarũ vnionem pertinet, hoc verè & ſemper ipſo actu in Chriſto ita fuiſſe, & adhuc eſſe oportet) vel ſi diuina tantùm natura ſemper fuit & eſt vbique, humana autem vno tantùm loco, in terris hîc olim, nunc autem in cælo, ſaltem extra vſum Cœnæ (vt ipſimet cõcedunt) nullam inde ſequi naturarum diſtractionem in vnitate perſonæ. Sed & animaduertere illos oportuit, quũ hoc argumentum nunc parent, præterrem omninò hanc generalem diuinæ naturæ Chriſti in pane prẽſentiã, ad probandam ipſius veram & ſpecialem in vſu & actione Cœnæ præſentiam in medium proferri. Generalis enim hæc præſentia diuinitatis in pane, etiam ante & extra ritum Cœnæ, omnibus creaturis ex æquo communis eſt, qua omnia creata implet, continet & ſuſtentat, à qua certiſſimum eſt, non neceſſariò pendere corporalẽ humanæ naturæ Chriſti præſentiam, ad efficiendam veram & ſpecialem ipſius præſentiam in Cœna, quæ ex inſtitutione ritus, & promiſſione verborum Sacramenti, locum habet in legitimè vtentibus, longè alio quàm vniuerſalis creaturarum conſeruationis fine. Hæc enim præſentia tota eſt cõuentionis & pacti, minimè videlicet competens pani vt pani, ſed vt ſacramentali ſigno: id teſtificante & certificante verbo, quòd Spiritu, gratia & virtute Chriſti verè prẽſentis, per communicationem carnis ipſius verè cum eo tãquam membra copulemur. Ergo qui iſto ab vnione perſonali deſumpto argumento vtuntur, vt inde ſaltem in ritu & celebratione Cœnæ corpus Chriſti cum pane realiter præſens eſſe probent, aut ipſimet, dum ſolam diuinitatem ipſius in pane, antequam is ad Euchariſtiæ vſum adhibeatur, adeſſe concedunt, & poſteaquam accedente verbo ad Euchariſtiam adhibitus fuerit, tunc etiam ipſum verè corpus, in, ſub vel cum pane præſens eſſe incipere fingunt: itemque dum Verbi diuinitatem infinita immenſitate ſua, etiam extra panis ſubſtantiam & locum eſſe meritò cõfitentur,

Hæc eſt improbata ſententia compendii Theologiæ. lib. 1. cap. 17. quam ſequuti ſunt aliqui corporalis præſentiæ defenſores.

A generali præſentia diuinitatis Chriſti in pane vt creatura, non pendet ſpecialis præſentia corporalis in Cœna.

Præſẽtia pactionalis.

Impertinentia argumenti ab vnione perſonali.

Corporis autem realem in Sacramento præsentiam panis substantia & loco tãtùm contineri, seu, vt alii Corpus in pane definitiuè præsens esse volunt, contra sua placita, & proprii argumenti vim & probationem, personæ vnitatem dissoluunt, aut nihil se in probãda speciali præsentia corporis Christi in pane Cœnæ, hac argumentatione concludere & euincere fateri coguntur. Et hoc satis intellexerunt Scholastici, qui propterea in defendenda sua, quam ipsi docent corporis Christi commentitia præsentia sub specie panis, planè negant, hoc esse seu pendere ab vnione personali, quòd videlicet corpus Christi pluribus in locis esse possit. Ideóque ad specialem quandam miraculi rationem, quæ virtute verborum Cœnæ contineatur, confugere maluerunt. Sic enim Antesignanus eorũ Thomas scribit: *Corpus Christi neque inquantum corpus, neque inquantum diuinitati vnitum est, hoc habet vt sit in pluribus locis, sed hoc habet ratione transsubstantiationis, inquantum plures & diuersi panes, qui in ipsum transsubstantiantur, in diuersis sunt locis.* Et de his quidem hactenus.

Thomas 1. senten. distinct. 37. q. 3. art. 2.

Causa realis præsentiæ in miraculo posita.

Sunt autem & alii qui periculosius hoc argumento abutuntur, vniuersalem ex eo corporis Vbiquitatem seu omnipræsentiam, nouo & portentoso dogmate comminiscentes. Verùm hi dum videri volut realem corporis Christi in pane præsentiam, velut vnica & inconuincibili hac ratione stabilire, necesse habent, specialem corporis in Cœna præsentiam, quam ex verbis præcipuè Christi causam habere, vulgo hactenus creditum fuit, audacter pernegare, atque adeo Papisticæ magiæ condẽnare, quod equidem præter Vbiquistas nemo impunè ausus est facere. Simul enim planè consistere non possunt quæ ab vnione personali, & quæ ab ipsis Cœnæ verbis, ad præsentiã corporis Christi in pane Cœnæ astruendam proferuntur argumenta. Nam si propter personalis vnionis vinculum, corpus & humanitas Christi, vnà cum diuinitate, non in pane Eucharistiæ tantùm, sed & vbique præsens esse asseritur, nihil ad hãc præsentiam in pane Eucharistiæ efficiendam, causæ vel mo-

Vbiquistæ Brentiani & Andreani.

Thes. Tubin. 77. & 80

Argumẽtum ab vnione personali, est incõpatibile cum proprietate & efficacia verborum Cœnæ.

momenti habent verba Christi, Hoc est corpus meum. Et contrà, si ex instituto Christi, virtute & efficacia verborum, speciali ratione & modo, realiter præsens est & exhibetur corpus ipsius in sub vel cum pane Cœnæ, necessariò concedendum est, ante verba & vsum Cœnæ nõ adesse, ideóque remouendam esse pœnitus à causa præsentiæ, hanc totam de vnione personali disputationem. Mirum igitur videri potest, Vbiquistas de verbis Christi propriè & secundum literam intelligendis, tam acriter contendere, quum tamen præsentiam Christi in Cœna, à generali illa maiestatis præsentia, in omnibus creaturis nostri tantùm respectu discernendam doceant: ac proinde rationem & modum quo corpus Christi in pane est, non ad præsentiam, sed ad dispensationem ipsius referri dicere omninò cogantur. Hoc autem quid est aliud, quàm secundum generalem hanc maiestatis præsentiam, panem Eucharistiæ, à quolibet alio pane communi, non discerni nisi vsu & relatione tantùm? Atqui hæc relatiua & sacramẽtalis præsentia, explicari & retineri potest, etiamsi τὸ ἔστιν illud Cœnæ sic accipiatur, vt panis esse dicatur corporis Sacramentum. Quod enim panis dicatur esse corpus Christi, non magis propterea præsens est ibi (si valet istorum dogma) quàm in alio pane communi. Namque si signum vel figura seu Sacramentũ corporis esse dicatur, non eo minus tamen ibi præsens erit, ex vnione personali, quàm antè. Hinc consequitur, si verba institutionis Cœnæ, Hoc est corpus meum, eodem accipienda sunt sensu, quo ista, Cum pane est corpus meum, & præsentia corporis Christi, eadem esse dicitur, secundum essentiam & maiestatem dexterę Dei, in pane Cœnæ, & alio quouis pane, omníque adeò alia creatura, vt volunt Vbiquistæ: hinc, inquam, consequitur, vel ex hoc verborum Cœnæ Domini sensu & interpretatione, atque generali hac causa præsentiæ, in omnibus creaturis, non minus verè de quouis etiam communi pane, dici posse, Hoc est corpus Christi, quia verè etiam liceat dicere, Cum hoc pane communi est cor-

Vbiquistæ non minus antequam post verba Cœnæ, corpus realiter præsens esse contendunt.

Iacob. And. in protocoll. Heidelb.

Thesi Tubingensi. 53. 54. & 55.

Si præsentia non est ex verbis Cœnæ, frustra cõtenditur de eorum proprietate.

Secundum Vbiquistas quo ad realem præsentiam corporis Christi, non differunt panis communis & panis Cœnæ.

pus Christi per essentiam & secundum maiestatem dextræ Dei: vel ex hac Vbiquistarum sententia concedendū esse, verba Cœnæ ad realem corporis Christi in pane Eucharistiæ præsentiam non pertinere, sed intelligenda esse tantùm de huius præsentiæ sacramētali relatione & fine respectu nostri, atque ita frustra tot annis litigatum esse de proprietate verborum Cœnæ, qua panis iure & essentialiter sit ipsum corpus Christi, & non signum aut figura. Hîc quæso diligenter considerent qui cum Vbiquistis non faciunt, an quia talis omnipræsentia carnis & humanæ naturæ Christi in omnibus creaturis non est, neque tamen aliter hanc in Cœna adesse contendant Vbiquistæ, nisi quatenus non tam ipsa in pane omnibúsque rebus præsens sit, quàm quòd omnes in se tes præsentes habeat, reuera non sint ii Vbiquistæ, qui quum soli videri velint pro vera præsentia Christi in Cœna pugnare, re ipsa tamen eam Cœna auferant.

Vbiquistarū præsentiæ corporis Christi modus. Thes. Tubin. 38. 63. & 80.

Est autē ad ab istud vnione personali desumptū argumentū facile ex iis quæ supra copiosè disputata sunt, respōdere. Rectè enim dicitur vnionem hanc factā intelligi saluis & inconfusis vtriusque naturæ proprietatibus. Quum autem personalis vnitas propriè nihil aliud sit quàm ipsa naturæ humanæ subsistentia in Verbo, sicut Christum Augustinus nihil aliud esse dicit, quàm Verbum habens hominem: perspicuum est, per hanc vnionē non tolli proprietates naturæ nō vnitæ. Quemadmodum igitur non sequitur, Nisi concedatur omnipræsentia naturæ humanæ cum diuina, futurum vt in propria suæ naturæ persona subsistat humanitas Christi (neque enim minus in Verbi, quàm in suæ naturæ persona, subsistere potest vt finita & localis) ita quoque pari ratione non sequitur, nisi omnipræsentia concedatur personalem vnionem solui, & naturas diuelli: sicut nec è contrario, ad personalem vnionem sufficit vtriusque naturæ coniunctio & coexistentia. Nestorius enim ne in ipsa quidem conceptione & natiuitate Christi, naturas hypostaticè vnitas, sed in propria

Personalis vnio non tollit proprietates naturæ non vnitæ. Damascenus lib. 1. cap. 3. de Orthod. fide. Leo Epist. ad Flauianum.

Athanas. dialog. 4. de trini. Tract. 19. in Ioā.

Humanitatem assumi vt finitam & localem, non pugnat cum vnione.

pria cuiuſque perſona ſubſiſtentes, & tantùm habitudine quadam vnitas dicebat.

Denique ſi ex Vnione perſonali neceſſariò inferenda eſt hæc vtriuſque naturæ omnipræſentia, falſum eſt, quod per vnitatem perſonæ Filius Dei dicitur homo viſibilis & palpabilis. Quomodo enim hæc de tota perſona in concreto rectè dici poſſunt, ſi ipſa quoque humanitas Chriſti, in ratione vnionis perſonalis conſiderata, nec viſibilis, localis, vel palpabilis eſt, nec quantitate molis ſuæ finita? Cæterùm ſicut propter aſſumptam & in Verbo ſubſiſtentem humanæ naturæ veritatem: Deus eſt homo ſic etiam naturales iſtas totíque humanæ naturæ communes proprietates, quibus viſibilis, localis & palpabilis eſſe dicitur, non minus verè, quàm ipſam naturam, in perſonæ vnitatẽ & ſubſiſtentiam aſſumptas eſſe neceſſe eſt. Et hoc eſt quod dicunt Patres, carnẽ & omnia quæ carnis ſunt, Verbi eſſe propria quoniam ipſius eſt, & non alterius caro. Quod ſi igitur in vnitatem perſonæ, hæ proprietates humanæ naturæ ſunt aſſumptæ, vt eapropter per communicationem idiomatum de Deo dicantur: manifeſta contradictionis implicatio eſt, humanitatem Chriſti propter perſonæ vnitatem cum Verbo, non eſſe localem nec finitam, ſed incircunſcripta immenſitate ſua, totam vbique totam cum Verbo. Ac proindè falſiſſima, ipſiſque adeò pueris ridenda conſequentia eſt, Chriſtus in vnitatem perſonæ aſſumpſit hominem, Ergo ſequitur ipſam quoque humanitatem Chriſti vbique præſentem eſſe. Item, Verbum caro factum eſt, Ergo caro Verbi eſt vbique.

Sed age videamus, quid veteris Eccleſiæ Patres de hoc Vbiquiſtico dogmate ſenſerint, à quibus quũ nemo ſit qui dubitare aut inficiari poſsit, vnitatem perſonæ Chriſti ſaluo naturarum diſcrimine rectiſsimè explicata eſſe & conſtantiſsimè contra Neſtorium & Eutychetem defenſam, tanto firmiora ſunt veritatis & pij in Eccleſia conſenſus teſtimonia. Sic igitur Origenes, *Qui dicit diſcipulis ſuis, Ecce ego vobiſcum ſum, Vnigenitus Dei eſt, Deus Verbum, qui non*

Cypria. ſermo. de natiuitate Chriſti. Fulgent. lib. 2. ad Traſimund. 1. ad Tit. 3. Ignatius Epiſt. 8.

Finitas & circumſcriptio corporis, vna cũ eo aſſumpta eſt per vnionem.

Hinc Fulgent. ait Deũ parua carne conceptum.

Iacob. Andreas Theſi Tubing. 34. protocol. Heidelberg. fol. 13.

Origenes Homil. 33. in Mattheum.

est corporeo ambitu circumclusus: secũdum hanc diuinitatis suæ naturam non peregrinatur à nobis, sed peregrinatur secundum dispensationem corporis quod suscepit. Hæc autem dicentes, non soluimus suscepti corporis hominẽ (quum scriptum sit apud Ioannem, Omnis spiritus qui soluit Iesum non est ex Deo) sed vnicuique substantiæ proprietatem seruamus. Quasi homo peregrinatur, qui est vbique secundum diuinitatis naturam. Nec enim est homo qui est vbicũque duo vel tres in nomine eius cõgregati fuerint: neque homo nobiscum est omnibus diebus vsque ad consummationem seculi: nec congregatis vbique fidelibus præsens est homo, sed virtus diuina quæ est in Iesu. Nihil contrarium est eum ipsum Iesum secundum quendam intellectum esse vbique, secundum alium autem peregrinari. Si enim nos dum sumus in corpore, peregrinamur à domino, (per fidem enim ambulamus, non per speciem) peregrinatur ab eis & Dominus, per fidem ambulantibus non per speciem.

Personalis vnio non est coexistentia vtriusque naturæ in omni loco.

Loquitur de natura secundum quam homo dicitur.

Et Gregorius Nazianzenus, *Si quis dicit carnem è cælo descendisse, nec à nobis esse, anathema sit. Nam hæc dicta, Secundus homo de cælo, Et nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, & alia similia, intelligenda sunt per communicationem idiomatum, propter duarum naturarum vnionem, vt quum dicimus, Per Christum omnia facta sunt.* Item, *Christus habitat in cordibus nostris, videlicet, non secundum apparentem naturam, sed inuisibilem. Quia sicut naturæ vnitæ sunt, ita etiam attributa naturarum permutantur.* Item, *Docemus eundem Christum passibilem carne, impassibilem diuinitate, circumscriptum corpore, incircumscriptum spiritu, visibilem, & qui cerni animo atque intelligi potest, qui loco continetur, & loco non continetur.*

Gregorius Nazianzenus ad Cletodiũ apud Theodor. dial. 1.

1. Corint. 15.

Ioan. 3.

Ioan. 1.

Ephes. 3.

Regula.

Et Gregorius Nissenus, *Quis dicit quòd carnis circumscriptione tanquam vase aliquo infinitas verbi contineatur & circumscripta sit? Quid enim prohibet quandam diuinæ naturæ vnionem ad humanam naturam agnescere, & tamen etiam in hac vnione intelligentiam diuinitatis conseruare, credentes extra omnem circumscriptionem esse diuinitatem, etiam si sit in hominibus?*

Grego. Nissenus apud Theodo. dial. 2.

Ex Vnione personali, non sequitur carnem fieri incircumscriptã.

Et Seuerianus, *Mysterium verè cæleste & terrenum. Talis enim erat natus Christus cæleste & terrenus: versans*

sus in loco & extra locum positus: visibilis & inuisibilis: cælestis secundum diuinitatis naturam, terrenus vero secundum humanitatis naturam: visibilis secundum carnem, inuisibilis secundum spiritum: in loco versans secundum corpus, extra locum positus secundum Verbum.

Seruerian. apud Theodor. dial. 2.

Hic naturæ in vnitate personæ, propriis differentiis suis opponuntur.

Et Theodoretus, *Nos talem diuinitatis & humanitatis prædicamus vnionem, vt intelligamus vnam personam indiuisam, & eundem agnoscamus Deum & hominem, visibilē & inuisibilem, circumscriptum & incircumscriptum, & alia omnia quæcunque diuinitatem & humanitatem designant, vni personæ accommodamus.*

Theod. dial. 3.

Omnes proprietates dicuntur de persona, quia in vtraque natura cui competūt, subsistit.

Sic igitur naturas in arctissimo illo hypostaticæ vnionis vinculo, propriis suis differentiis apud Patres inter se opponi & discerni constat, quibus planè ignota fuit Vbiquistarum imaginatio qua fingunt naturas in Christo aliter considerari per se & ratione suæ essentiæ, quatenus personam constituunt, & aliter vt ex vtraque natura fit tertium quiddam personale & quasi per accidens vnum. Nec enim alias proprietates habet humanitas quà humanitas, & altera Christi natura est, in tertio illo personali & quasi per accidēs vno, quod commentum ab ipsis etiam Scholasticis est refutatum. Alioqui, vt suprà est dictum, visibile, palpabile & locale esse, (quod Deo Verbo ratione naturæ suæ nequaquam competit) nō posset in ipsa personalis vnionis ratione de eo vt tota persona dici, si per hanc ne ipsa quidē humanitas visibilis & localis, sed vtraq; natura pariter esset immensa & infinita. Et cuiusmodi quæso fuerit portentosum istud tertium quiddam quasi per accidēs, in quo naturas vt vnitas cōsiderant Vbiquistæ? Ipsis enim nec est ipsa diuinitatis essentia, nec etiam humanæ naturæ substātia & veritas, sed res est, vt aiūt, omnium spiritualissima: nec Deus nec homo, sed mixtū quiddā ex vtroque. Itaque hic est planè Deus recens & nouitius quē ignorarunt Patres. Quinetiā hac ratione non illa corporalis substantia & veritas carnis & humanæ naturæ Christi, sed spiritualissima illa res, & tertium quasi per accidens, vbique &

Thesi. Tubing. 9. & Assertione contra Bezam. fol. 11. & 12.

Gabriel Biel. li. 3. dist. 1. quæst. 1.

Tertul. cōtra Praxeā.

Athanasius.

Vnio naturæ humanæ cōsideratur in persona & subsistentia Christi.

Thom. 3. par. sum. q. 2. & q. 16. art. 2.

omnipræsens esse dicendum foret.

In Ioan. Cyrill. lib. 9. cap. 11. Gubernatio Christi, nõ fit omnipræsentia carnis.

Quid autem noster hac de re Cyrillus? *Credere (inquit) oportet fideles, quamuis corpore suo absit Christus, virtute tamen sua omnia & nos gubernare, adesseque semper ipsum omnibus qui eum diligunt, propterea dicebat, Amen dico vobis, vbicunque sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio ipsorum. Nam quemadmodum quando vt homo in terra conuersabatur, tunc etiam cælos implebat, & Angelorum consertia non relinquebat: eodem nunc modo quum sit in cælis cum carne, terram tamen replet, & cum ijs est qui eum diligunt. Obseruandum est autem, quia quamuis secundum carnem tantùm abiturus erat (adest enim semper virtute deitatis vt diximus) modico tamen tempore se cum discipulis futurum dicebat, apertè seipsum nominãs, ne quis in duos filios Christũ diuidere auderet, sed vt vnũ omnino esse quisque credat, non quòd vna sit natura, sed quia vnus in vtraque natura est Christus.* Idem, *Quomodo, dicet quispiam, pollicitus est cum eis se futurum? nullus ambigit, quum ad cælos ascenderit, quamuis virtute spiritus semper adfuerit, præsentia tamen carnis ipsum abfuisse.* Idem, *Postquam cælos ascendit in nobis est per spiritum.* Idem, *Etsi corpore absens sit Christus, Patri pro nobis apparens, & ad dextram ipsius sedens, habitat tamen in sanctis per spiritum, nec patitur eos orphanos esse, in cælum ascendens spiritũ immisit. Non enim conuersari carne cum Apostolis poterat, quum ad Patrẽ ascenderit.* Idem, *Putabant discipuli, absentiam Christi (vt hominis dico, Deus enim vbique adest) multorũ ijs incõmodorum causam futurã, quũ non adesset qui ab omnibus eos posset malis eruere: sed oportebat non solũ in carnem Christi verumetiã in deitatem ipsius respicere, quæ quãuis oculis non cernatur, adest tamen semper summa cum potestate, nec quicquã prohibere potest quin omnia repleat. Non enim dimensionibus circũscriptibilis est natura diuina. Quare quũ Deus & homo verè sit Christus, oportuit eos intellexisse, ineffabili deitatis potestate vnà cum eis semper futurũ, etiã si carne abesset. Idcirco enim ipse quoque in superioribus dicebat, Pater sancte serua eos in nomine tuo quos mihi dedisti: apertè significans, deitatis ratione non carnis præsentia, eos posse seruari, quippe ipsa etiam caro non à se sancta fuit, sed*

Christus non diuiditur.

Lib. 10. cap. 38. in Ioã.

Ascensio in cœlum, repugnat corporali præsentiæ.

Lib. 6. de Trinit. lib. 11. cap. 3. in Ioan.

Lib. 11. cap. 21. in Ioan.

Quo ad præsentiã & absentiam hic diuinitas & humanitas in Christo apponuntur.

ſed coniunctione Verbi, ad Verbi virtutem quodammodo transformata, ſalutis atque ſanctificationis cauſa eſt participanda. Caro eſt cauſa ſalutis in participatione Verbi.

Non ergo carni vt caro eſt operationis diuinæ virtutem, ſed naturæ Verbi attribuimus. Hoc enim & non aliud ſignificat, in Patris nomine illos ſeruatos fuiſſe. Gloria enim Dei certè ſeruati ſunt, deſolationis ergo formidinem pellēs, idem per eadem verba ſæpius reuoluit, ſalutem illis non corporalis carnis præſentia, ſed deitatis poteſtate futuram oſtendens. Nulla enim res quæ propria opera Dei ſunt, facere poteſt, niſi ſubſtantialiter Deus ſit. Idem, *Deum atque hominē verè ſeipſum eſſe oſtendēs, hinc diſcipulis intelligēdū dedit, non minus ſe abſentem quàm præſentē ſalutē ijs allaturū, & qua ratione, quū adeſſet vt homo, ea etiam abſentem ſeruare poſſe. Non enim circumſcribitur loco Deus, nec ære aliqua vnquam abeſt: ſed omnia implens, & omnia penetrās in omnibus & extra omnia eſt.* Item, *Hac igitur de cauſa Dominus noſter Ieſus Chriſtus, nec ſe hominem negans & Deum eſſe oſtendēs, Deitatis nomen vt homini ſibi datum affirmat, in ſe autē & per ſeipſum conſeruari à Patre credentes aſſerit, ex quibus omnibus aliud ſubtilius emergit, quòd etiam quum vt homo adeſſet, non hac ratione ſed deitatis virtute ac gloria illos conſeruabat. Nihil ergo mali accidere vobis poteſt (ait) etſi carne abſuero, quum deitatis mea poteſtas quæ vos hucuſque ſeruauit, etiam in poſterum ſit ſeruatura. Hæc non ideo dicimus quia Domini corpus non magni æſtimemus, ſed quia mirabiles hos effectus gloriæ deitatis attribuendos putamus. Nam ipſum etiam Domini corpus, coniuncti virtute Verbi ſanctificatur, & ad benedictionem myſticam adeò actiuum fit, vt poſſit ſanctificationem ſuam nobis immittere. Vnde ipſe Saluator quoque quū ad Iudæos multa de carne ſua diſſereret, ac viuificam verè panem eſſe appellaret, Panis enim (inquit) quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita, ſtupentibus illis & quomodo id fieri poſſet dubitantibus, dicebat, Spiritus eſt qui viuificat, caro nihil prodeſt. Apertè namque hic ad ſanctificandum viuificandumq; nihil prodeſſe carnem oſtendit, inquantum ſcilicet humanæ naturæ caro eſt. Quum igitur deitati ſeruatio attribuatur, Nō debe (inquit) carnis præſentiam propter hoc deſiderare. Hoc enim ſolummodo pacto, & carne abſens, ſeruare ſuos poterit*

Caro in Vnione non fit nomen Patris, in quo ſeruamur.

Propria Dei opera, non communicantur creaturæ. Cap. 22.

Vnde Chriſtus verè intelligatur Deus & homo.

Solus Deus vbique præſens.

Quomodo nomē Dei datum homini.

Conſeruatio fidelium ſolius deitatis opus in Chriſto eſt.

Loquitur de corporali abſentia carnis, quæ manducāda, datur ad vitam.

Sicut corpus Domini, ita nos in corpore ipſius, Verbo viuificamur.

Caro viuificat, vt panis vitæ de cælo; & caro Domini, in perſona & virtute Verbi.

Corporalis præſentia carnis, non eſt neceſſaria ad viuificationem.

qui perfectũ habebũt gaudium, quum se virtute Omnipotentis protegi non dubitant. Ex his manifestum est Cyrillum non modò Christum in vnitate personæ secundum carnem hinc absentem in cælo, maiestate verò diuinitatis & virtute præsentem esse affirmare, sed & viuificandi & sanctificandi vim, nostræque seruationis opus, diuinitati Christi, non carnis ipsius præsentiç, quam ad hoc nec necessariam nec desiderandam esse dicit, attribuere. Diuinç enim operationis virtutem, non competere carni vt carni, sed naturæ Verbi, cuius per assumptionem facta est propria caro, quia nulla omnino res, (ergo nec illud Vbiquisticum & verè fantasticum, quasi per accidens vnum) quæ propria Dei opera sunt, efficere posit, nisi substantialiter Deus sit: nec tamen ex hac naturarum distinctione, personæ distractionem sequi, aut in duos Christum diuidi filios ostendit. Nihil verò potuit apertius dici contra Vbiquistas, qui hodie totãm humanæ salutis anchoram omnémque diuinitatis Christi virtutem & potentiam in maiestate & omnipræsentia carnis quam fingunt, sitam esse dictitant. Et quum hęc sint à Cyrillo scripta, qui separationem personæ in Nestorio primus omnium quàm acerrimè oppugnauit, eúmque in Ephesina synodo anathemate condemnauit, quomodo non euidens calumnia est, hanc eandem sententiam Nestorianæ impietatis in nobis accusari? Vt enim longè alia est ab ea quam Vbiquistæ docent vera personalis vnionis ratio secundum subsistentiam, propter quam ab Ephesina synodo condẽnata est Nestoriana personę diuisio: sic personam cum Nestorio non diuidunt, qui sua cuique naturæ propria seruantes, hactenus tamen ea faciunt cõmunia personæ, quatenus vna est vtriusque hypostasis & subsistentia, contrarium sentiente Nestorio, vt qui diuinæ & humanæ naturæ in Christo voces proprietates & attributa, non vni attribuenda Dei & hominis filio, sed alia ad Filiũ Dei seorsim, alia verò ad hominis & Mariæ filium referenda censeret. Ideo docebat Nestorius Filiũ Dei ex Virgine non esse natũ, sed nato cõiunctum. Item, *Si*

Caro per modum vnionis non fit substantialiter Deus in se.

Nestoriana diuisio intelligitur secundum plures subsistentias. Maxent dist. 2. contra Nestor.

Thomas 3. part. q. 16. art. 4.

quis

quis Deo Verbo tẽtat attribuere paſsiones, Anathema ſit. de quo prolixè Cyrillus in quinto & nono aduerſus Neſtoriũ Anathematiſmo. *Hoc enim eſt*, vt ait, *num Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum diuidere in hominem propriè, & Deum Verbum propriè, ita vt duæ intelligantur perſonæ & ſubſiſtentiæ inter ſe diſiunctæ.*

Apologia & ad Eunoptium, Anathemat. 5. & Anathemat. 9.

Separatio Neſtoriana

Auguſtinus quoque in epiſtola ad Dardanum, de præſentia Dei, hoc argumentum Vbiquiſtarum nominatim & ex profeſſo tractat. Quærebat enim Dardanus quum Chriſtus ad latronem dixerit, Hodie mecum eris in paradiſo, an quia vbique eſt Deus, ita etiam Homo ille qui in Deo eſt, vbique ſit diffuſus. Reſpondet autem, quum idem Chriſtus Deus & Homo ſit, obſeruandum eſſe in Scripturis quid ſecundũ quid de eo dicatur. *Nam ſicut anima rationalis & caro (ait) vnus eſt homo, ſic Verbum & Homo, vnus eſt Chriſtus. Proinde quod ad Verbũ attinet, Creator eſt Chriſtus: quod vero ad hominem, creatura eſt Chriſtus. Nec tamen quum Filium Dei Chriſtum dicimus, hominem ſeparamus: aut quum eundem Chriſtum Filium hominis dicimus, ſeparamus Deum. Secundum hominem namque in terra erat, non in cælo vbi nunc eſt, quando dicebat, Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit Filius hominis qui eſt in cælo, quamuis ſecundum quod Filius Dei erat, eſſet in cælo, ſecundum quod verò Filius hominis erat, adhuc eſſet in terra, nondúmque aſcenderat in cælum. Similiter quum ſecundum id quod Filius Dei eſt, ſit Dominus gloriæ, ſecundum id autem quod eſt Filius hominis, crucifixus ſit, ait tamen Apoſtolus, Si cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent, ac per hoc Filius hominis ſecundum Deum erat in cælo, & Filius Dei ſecundum hominem crucifigebatur in terra. Sicut ergo rectè potuit dici Dominus gloriæ crucifixus quum ad ſolam carnem illa paſsio pertineret, ita etiam rectè dici potuit, Hodie mecum eris in paradiſo, quum iuxta humanitatem per carnem in ſepulchro, per animam in inferno illo die futurus eſſet: iuxta diuinam verò immutabilitatem nunquam de paradiſo (quia vbique eſt ſemper) receſsiſſet. Noli itaque dubitare ibi nunc eſſe hominem Chriſtum, vnde venturus eſt, ſecundum Chriſtianam confeſsionem in eadem videlicet carnis forma, cui immortalitatem dedit, na-*

Auguſtinus Epiſt. ad Dardanum.

Homo nõ eſt in Deo niſi perſonali ſubſiſtentia.

Humanitas Chriſti, ante aſcẽſionem non fuit in cælo per vnionem.

Diſtinctio proprietatum in natura, & mutua earum permutatio in perſona.

Vt ſola in Deo caro paſſa, ita ſolus in carne Deus eſt vbique.

Vbi Chriſtus ſit ſecũdum carnem.

turam non abstulit. Secundum hanc formam, non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim ne ita diuinitatẽ astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus. Vna enim persona Deus & homo est, & vtrumq; vnus est Christus, vbique per id quod Deus est, in cælo autem per id quod homo est. Item, *Christum Dominum nostrum vnigenitum Dei filium, eundem hominis filium, & vbique totum præsentem esse non dubites tanquam Deum, & in eodem templo Dei esse inhabitantem Deum, & in loco aliquo cæli propter veri corporis modum.* Quæ verò potest esse, cõtra tam illustre Augustini testimonium, Vbiquistarum authoritas, vt ipsi potius in Ecclesia audiendi sint, quàm tota vetustas, quamuis se adeò dicant verecundos, vt horrendum peccatum esse ducant, noui dogmatis in Ecclesia authorem esse? Neque enim nouam & eruditæ antiquitati ignotam, sed primitiuæ Ecclesiæ doctrinam se profiteri iactitant. Habent tamen duplex ad peruertendam hanc totam Augustini de hac quæstione sententiam effugium. Primò dicunt, Augustinum hæc de humanitate Christi, secundum veritatem & essentiam naturę per se & absolutè, non autem in ipsa vnionis maiestate considerata, disseruisse. Hoc verò quum dicunt, perinde faciunt, ac si erroris & insciticæ redarguerent Augustinum, qui etsi indiuisam personæ vnitatem in Christo intelligere, & verbis se retinere fingat, re ipsa tamen doceat manifestam naturarũ separationem. Certè apparet Augustinum de homine non seorsim considerato, sed quatenus in Deo, vna cum Deo persona, & vnum ὑποστάμενον est, diserte loqui quum inquit: *In hac vnitate personæ, Christũ per id quod Deus est, tantùm vbique: per hoc autem quòd homo in cælo, & tamen totum vbique Christum esse, quamuis non secundum vtramque simul naturam. Sic autem hominem in Deo, vnitate personæ vbique esse intelligi, sicut Deus gloria in homine est crucifixus, ac proinde vt ad solam in Deo carnem passio est referenda, solam quoque in homine Christo diuinitatem esse vbique.* Nõ minus futile & vanum est, quod secundo loco argutantur, Augustinum re-

Respõdet Vbiquistis. Christus in Vnitate personæ tantùm est vbique secundum diuinitatem.

Totus Christus est vbique, sed non totum.

Præfatio Thesiũ Tubingensium.

Vbiquistarũ effugia. I.

Sicut se habet passio carnis, ad diuinitatem ita se habet Vbiquistas diuinitatis ad carnem.

II.

ſè negare, non eſſe conſequens, vt quod in Deo eſt, ita ſit vbique vt Deus. Aliter enim vbique eſſe diuinam in Chriſto naturam, propria ſua virtute & potentia, aliter verò humanitatem, non quidem ſua, ſed communicata virtutis Verbi effuſione: vnde cõſequatur hæc non planè per negationem, ſed vt comparationem ab Auguſtino dicta debere intelligi. Nempe hoc facit vincendi cupiditas & iuſtæ reprehenſionis impatientia, vt ad euidentes nugas confugere potius, quàm veritati cedere malimus. Quid eſt obſecro, in hac tota Auguſtini tractatione clarius, quàm ſic hominem qui eſt in Deo, non eſſe vbique vt Deum, quia non ita ſit aſtruenda diuinitas hominis, vt veritas corporis auferatur? Item, quia in cælo ſit tantùm, ſecundum veri corporis modum, hoccine eſt aliter humanitatem Chriſti vbique eſſe, quam diuinitatem? Quinetiam ſi Vbiquiſtis hoc concedatur, quid hoc eſt aliud, quàm duas adæquatas & vbique coexiſtentes vtriuſque naturæ ponere hypoſtaſes & ſubſiſtentias? Cæterum hæc Auguſtini perpetua ſententia, multis etiam aliis ex locis clariſsimè eluceſcit. Sic enim alibi ſcribit: *Semper quidem nobiſcum eſt diuinitate ſua, ſed niſi corporaliter abiret à nobis, ſemper eius corpus carnaliter videremus, & nunquam ſpiritualiter crederemus.* Item, *Quamuis in terra factus ſit Filius hominis, diuinitatem ſuam qua in cælo manens deſcẽdit ad terram, nõ indignam cenſuit nomine Filij hominis, ſicut carnem ſuam dignatus eſt nomine Filij Dei, ne quaſi duo Chriſti accipiãtur, vnus Deus, & alter homo, ſed vnus atque idem Deus & homo. Ac per hoc per diſtantiam diuinitatis & infirmitatis, Filius Dei manebat in cælo, Filius hominis ambulabat in terra. Per vnitatem verò perſonæ, qua vtraque ſubſtantia vnus eſt Chriſtus, & Filius Dei ambulabat in terra, & idem filius hominis manebat in cælo.* Item, *Aquibus homo abſcedebat, Deus non recedebat. Et idem ipſe Chriſtus Deus & homo. Ergo ibat per hoc quod homo erat, & manebat per id quod Deus erat: Ibat per hoc quod in vno loco erat: manebat per hoc quod vbique erat.* Item, *Prorſus hic eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus: imo hic erat ſecundum carnem, modò hic eſt ſecundum diuinita*

Chriſtus ſecundũ humanitatẽ, quia in cælo tantùm, non ita eſt vbique vt Deus.

Ratio cur humanitas in Chriſto non ſit vbique.

Sermo. 60. de Verb. Domini.

Lib. 1. de peccat. meri. & remiſ. cap. 3.

Sicut Deus homo, ita homo Deus in vnitate perſonæ.

Vnitas perſonæ, propria naturarum vtrinque communia facit.

Tract. 87 in Ioan.

Tract. 36. in Ioan.

Tract. 50. in Ioan.

Caro aſſumpta non eſt vbique.

tem. Secundum corporis quidem præsentiam, & secundum carnem quam Verbum assumpsit, ascendit in cælum, non est hic, Ibi sedet ad dexteram patris: & hic est, non enim recessit præsentia maiestatis. Secundum præsentiam maiestatis semper habemus Christum, secundum præsentiam carnis rectè dictum est, Me autem non semper habebitis. Vult, vt apparet ex his, Augustinus proprietates in inconfuso naturarum discrimine distingui, & in vnitate personæ vicissim communicari, salua tamen cuiusque naturæ proprietate. Ideóq; quum dicit, Christum hîc esse & non esse, sed secũdum aliud & aliud, nec personæ vnitatem diuidi, nec in hac vnitate sensit naturas coæquari. Idem: *Sicut eundem Filium & redemptorem nostrum, secundum diuinitatem, inuisibilem, incorporeum, & incircumscriptum, sicut Patrẽ & Spiritum sanctum, non credere, impium est: ita eundem Filium Dei, in hominẽ assumptum, visibilẽ, corporeum & localem post resurrectionẽ, non credere & profiteri, est prophanum.* Hic quæso nobis hoc explicent Vbiquistæ. Si hæc naturarum propria, ita demum iis competunt & tribuenda sunt, quatenus absolutè & per se, & non in ipso personalis vnionis nexu & vinculo considerantur, quomodo idem Dei Filius, nõ alia quàm personalis vnionis ratione ab humanæ naturæ proprietatibus in vnitatem personæ coassumptis, rectè possit dici corporeus, visibilis & localis? Aut enim, si hęc de ipso Dei Filio in vnitate personæ dicuntur, proprietates has simul vnitas & assumptas, adeóque in ipsa vnionis maiestate saluas & immutabiles, esse: aut, si de alio quàm ipso Dei Filio dicta intelliguntur, personæ vnitatem in plures hypostases & subsistentias diuidi oportet. Est itaque ex hac Augustini sententia, aduersus omnes omnium corruptelas concludendum, quòd sicut vbiq; esse, & in cælo aut aliquo cæli loco esse: ita in vnitate personæ Christi, inter se opponuntur Diuinitas & Humanitas. Et consequenter, sicut Cælum & Vbique, & diuina atq; humana natura in Christo cõfundi & permisceri non possunt, sic etiam ex vnione personali non sequi omnipræsentiã carnis & humanæ naturæ in Christo. Quò pertinet & iste

Præsentia maiestatis, est Verbi, non carnis.

Idem Origenes Homil. 33. in Math.

Vnitas personæ, non est æqualitas vtriusque naturæ.

De essentia diuinitatis in fine.

Proprietates toti personæ competentes.

Filius Dei per vnionẽ est homo visibilis & localis. Ergo hæ proprietates non sunt extra modum vnionis.

Lib. de Vnit. & Trinit. cap. 2.

Eiuſdem Auguſtini locus: *Ille qui erat Filius Dei, ipſe eſt Filius hominis in vnitate perſonæ: et ſi dixerimus duas perſonas, introducemus etiam duos filios Dei, atque ita nunc non erit trinitas, ſed quaternitas, quod abſit. Profectò enim per id quod eſt Deus & æqualis Patri, & vbique præſens eſt, & in cælo totus, & in terra totus, & nullo cõtinetur loco. Per id quod homo, & paſſus & mortuus eſt, & reſurrexit & aſcendit in cælum, ſedetq; ad dexteram Patris, & ſic venit ad iudicandũ viuos & mortuos, quẽ admodũ eſt reuerſus in cælũ, in eadem forma carnis & ſubſtãtia, cui profectò immortalitatẽ dedit, naturã non abſtulit.*

Sola in Chriſto deitas & illocalis.

Aſcenſio inerelum & ſeſsio ad dexterã, opponũtur Vbiquitati.

Naturam carnis non auferri, eſt eã vbique non eſſe.

Hanc fuiſſe perpetuam Eccleſiæ doctrinã teſtatur Vigilius Martyr, contra ſui temporis Eutychianos. Sic autem inter alia ſcribit, *Vide vtriuſque naturæ myſterium. Dei Filius ſecundum humanitatem ſuam receſſit à nobis: ſecundum verò diuinitatem ſuam, ait nobis, Ecce ego vobiſcum ſum. Eſt igitur nobiſcum & non nobiſcum, quia quos reliquit, & à quibus diſceſſit humanitate ſua, non reliquit nec deſeruit diuinitate ſua.* Item, *Quomodo quum Verbum vbique ſit, non vbique inueniatur & caro? Nam quando in terra fuit, non erat vtique in cælo, & nunc quia in cælo eſt, non eſt vtique in terra, & in totum non eſt, vt ſecundum ipſam Chriſtum expectemus venturum de cælo, quem ſecundum Verbum nobiſcum eſſe credimus in terra. Igitur ſecundum vos (*alloquitur Eutychianos) *aut Verbum cum carne ſua loco continetur, aut caro cum Verbo vbique eſt: ſed quia Verbum vbique, caro autem vbique non eſt, apparet vnum eundémque Chriſtum, vtriuſque eſſe naturæ, & eſſe quidem vbique ſecundum naturam diuinitatis ſuæ, & loco contineri ſecundum naturam humanitatis ſuæ. Circumſcribitur loco ſecundum naturam carnis ſuæ, & non capitur loco, per naturam diuinitatis ſuæ. Hæc eſt fides & confeſsio catholica, quam Apoſtoli tradiderunt. Martyres roborauerunt, & fideles nunc vſque cuſtodiunt.* Niſi certè in ipſa perſonalis vnionis ratione qua vnus idémque Chriſtus Deus eſt & homo, propria naturarum ſalua & incon fuſa maneãt, id eſt Chriſtus ſecundũ vtramq; naturã dicitur Deus & vbique, nulla ratio eſt, qua de vno eodémq; Chriſto Dei Filio, non quidem ſecundũ idẽ

Myſterium vtriuſque naturæ in Chriſto idẽ Origen. Tertul. Cyril. Auguſt. Lib. 4.

Hic ne præſentiã quidem in Cœna excipit.

Carnem eſſe vbique cum Verbo eſt Eutychianum.

Caro Chriſti in vnione eſt localis & circũſcripta.

Cõſenſus Eccleſiæ verè catholicæ. Idem Gelaſius.

Thom. 3. Parte ſum. quæſt. 16. art. 4.

ſed ſecundum aliud & aliud, contraria & oppoſita ſimul poſſint adfirmari. Vnde quemadmodum per hæc contraria & oppoſita, vnus & idem Chriſtus non diuiditur in Deum & hominem ſeorſim: ita quoque ſua cuique naturæ propria tribuere, non eſt vnitatem perſonæ Chriſti cum Neſtorio diuidere. Nam & hoc Iuſtinus Martyr ex regula tradit, vt in vno Dei Filio contrariæ voces, iuxta vtramque ipſius naturam diſcernantur. Verùm adeò nihil potuit dici ſatis perſpicuè à Patribus, quod aut cõtrouerſiam ab Vbiquiſtis non patiatur, aut ipſorum cauillationibus non ſit obnoxiũ. Aiunt enim hæc Vigilii (quem etiam aliquando per ludibrium auſi ſunt Dormilium vocare) aliáque patrum teſtimonia, intelligenda eſſe tantùm de ipſa natura & ſubſtantia carnis Chriſti, non autem de communicata vnionis Maieſtate, per quam caro & humanitas Chriſti, non modò ſuper omnes homines, ſed & ſuper Angelos euecta ſit in æqualem cum Deo gloriam, maieſtatem & omnipræſentiam. Atqui ſi hæc vt vera & tanquam articuli fidei recipienda ſunt, vt iſti contendunt, quomodo intelligi poteſt? in vnitate perſonæ Chriſti, Verbum & humanitatem ipſius, quod attinet ad vbique eſſe, & certo loco contineri, tam ipſis naturis, quàm earum propriis differentiis, inter ſe opponi? Aut quomodo Eutychianum eſſe dicitur, Carnem in vnitate perſonæ vbique cum Verbo eſſe adfirmare? Deinde ſi ex hac Vbiquiſtarum ſententia & explicatione non ſubſtantia vel natura carnis aſſumptæ, ſed communicata ipſius maieſtas eſt vbique: etiam ſecundum hunc præſentiæ carnis Chriſti in Cœna modum, dicendum erit, non ſubſtantiam & naturam carnis, quatenus in mortem pro nobis eſt tradita, ſed communicatam ipſius Maieſtatem præſentem eſſe & manducari in Cœna. At certè non temere nec ſine cauſa doctiſsimus & reuerendus piæ memoriæ D. Philippus Melanchton, hæc portẽta eruditæ veruſtati ignota eſſe ſcribit.

In expoſit. fidei.

Iacob. Andr. in proto coll. Heidel. fol. 86.

Epiſt. ad Palatinum.

Idem ſentit & copioſè explicat Fulgentius Africanus Epiſcopus ad Traſimũdum: *Filius ergo Dei* (inquit)

Fulgentius lib. 2. ad Traſimundum.

quit) tam authoritate diuina quàm ſanctorum Patrum fidelis veraciq; ſententia, ſecundum diuinam naturam infinitus, immenſus, atq; probatur, vbique præſens, omnia replens, ſcius nunc cogitationum, & operum futurus iudex, retributor ſanctorum. Quia verò idem Filius Dei, verus Deus, natus de Deo Patre, verus homo factus eſt pro nobis ex homine (factus eſt enim ex ſemine Dauid, ſecundum carnem) diuinæ humanæq; naturæ in ſe continens veritatẽ, quæ fuerunt veræ diuinitatis, non amiſit, & quæ ſunt veræ humanitatis accepit: vnus idemq; ſecundum carnem de matre tẽporaliter natus, qui ſecundum diuinitatem de patre permanet ſempiternus: vnus idémque homo localis ex homine, qui eſt Deus immenſus ex patre: vnus idémque ſecundum ſubſtantiam humanam abſens cælo, quum eſſet in terra, & derelinquens terram, quũ aſcendit in cælum, ſecundum diuinam verò immenſamque ſubſtantiam nec cælum dimittens quum de cælo deſcendit, nec terram deſerens quum ad cælum aſcendit, quod ipſius Domini certiſſimo poteſt cognoſci ſermone, qui vt localem oſtenderet humanitatem ſuam, dicit diſcipulis ſuis, Aſcendo ad Patrem meum, & ad Patrẽ veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. De Lazaro quoque quum dixiſſet, Lazarus mortuus eſt, adiũxit dicens, Et gaudeo propter vos vt credatis, quoniam non eram ibi. Immenſitatem verò ſuæ diuinitatis oſtendit diſcipulis dicens, Ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus vſque ad conſummationẽ ſeculi. Quomodo autem aſcendit in cælum niſi quia verus & localis eſt homo? Aut quomodo adeſt fidelibus ſuis, niſi quia immenſus & verus eſt Deus? Propter hoc ipſe Filius vt immenſitatem diuinitatis ſuæ in terra poſitus demonſtraret, & ſecundum hominem quem ſuſceperat in terra poſitus, ſecundum Deum, quod ſemper erat, præſentem ſe etiã de cælo doceret, ait, Nemo aſcẽdit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit, Filius hominis qui eſt in cælo. Non quia humana Chriſti ſubſtantia, fuiſſet vbique diffuſa, ſed quoniam vnus idémque Dei Filius atque hominis Filius, Deus verus ex Patre, ſicut homo verus ex homine, licet ſecundum veram humanitatem ſuam, localiter tunc eſſet in terra, ſecundum diuinitatem tamen (quæ loco nullatenus continetur) cælum totus impleret & terram. Iſtam Chriſti verã humanitatẽ (quæ localis eſt) & verã diuinitatẽ (quæ immenſa eſt)

Allegat conſenſu Eccleſiæ.

Vtriuſquenaturæ proprietates vni perſonæ communes.

Deus per vnionem eſt homo localis.

Abſentia & præſentia Chriſti ſecundũ aliud & aliud.

Ab aſcenſione probat localem circumſcriptionem humanitatis Chriſti.

Idem ſynodus Nicena ſecunda.

Exemplũ vnionis perſonalis & communicationis idiomatum.

Oppoſitæ naturarum differentiæ in vnitate perſonæ.

Vera Chriſti humanitas eſt localis.

Apoſtolica quoq; doctrina cernimus intimari. Nã vt Chriſti veri hominis corpus, localiter cõtineri Paulus Apoſtolus mõſtraret, ait ad Theſſalonicenſes, quò cõuerſi eſtis ad Deum à ſimulachris, ſeruire Deo vni & vero, & expectare Filium eius de cælis, quem ſuſcitauit à mortuis, Ieſum ipſum vtiq; monſtrans corporaliter de cælo venturum, quem corporaliter à mortuis nouerat ſuſcitatũ. Propterea rurſus ait, noſtra autem conuerſatio in cælis eſt, vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, conforme corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem qua poteſt etiam ſibi ſubiicere omnia. Interim quoniam huius loci oportunitas nullo eſt prætereunda ſilentio, attendatur hic locus, in quo beatus Apoſtolus Filium dicit omnia ſibi poſſe ſubiicere: ne Pater exiſtimetur cuncta tanquam inualido ſubiecciſſe, dicit etiam corpus humanitatis noſtræ, reformaturum conforme corpori claritatis ſuæ, quod ſi verum eſt, corpus Chriſti loco poteſt vtique contineri. Hanc veritatem corporis Chriſti de cælo venturi, Ioannes quoque confirmat dicens, Ecce veniet cũ nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt. In libris quoque Actorum, ſic eius corporalis intimatur aſcenſus, Et quum hæc dixiſſet, videntibus illis, eleuatus eſt. Quum ergo caro Chriſti, localis abſque dubitatione monſtraretur, Diuinitas tamen eius vbique ſemper eſſe Paulo teſtante cognoſcitur, qui fidelibus dicit, An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſti? Quomodo autem in eo loqui potuit, ſi in illo non fuit, vel quomodo corporaliter aſcendit in cælum, & in fidelibus ſuis eſſe prædicatur in terra, ſi non eſt in illo diuinitatis immenſitas quæ cælum implere poſſit & terram? Nam Corinthijs dicit, An non cognoſcitis vos ipſos, quia Chriſtus in vobis eſt? & ad Epheſios ait, Et in interiore homine habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris. Eſt itaque Filius in cælo, & habitat in nobis in terra, ſcilicet illa ſuæ immenſitatis præſentia, qua in nobis Pater Spiritúſque ſanctus habitat. Idem libro de incarnatione, *Chriſtus carne conſcendens in cælum, ſuos in terra diuinitate non deſerit.* Idem libro tertio ad Traſimundum, *Ne quis quum in vno Chriſto cæperimus ea quæ, ad proprietatem diuinæ & humanæ naturæ pertinent demon-*

Corpus Chriſti eſt localiter in cælo.

A cõformitate noſtri corporis cum corpore Chriſti.

Veritas corporis Chriſti de cælo venturi.

Caro Chriſti localis eſt, & diuinitas vbique.

Quomodo in ſanctis habitat Chriſtus.

Maieſtatis præſentia, eſt cõmunis trinitati.

Cap. 10.

Reſpõdet Vbiquiſtis.

demonſtrare, aut duos Chriſtos nos exiſtimet credere, ſecundum vtramque naturam, aut quartam à nobis inſeri putet Trinitati perſonam. Nos enim fidem retinentes Euangelicæ veritatis, ſic in Mediatore Dei & hominum Chriſto, propria vniuſcuiuſque naturæ agnoſcimus, vt vnitatem perſonæ nullatenus diuidamus, ſcientes, quòd vtriuſque in Chriſto ſubſtantiæ manſerit vnita proprietas. Item, Vnus eſt Chriſtus, quod humanum eſt habens Deus in veritate humanæ, & quod diuinum eſt habens homo in veritate diuinæ ſubſtantiæ. Ibidem, Totus in Patre ſempiterno: totus in homine ſuſcepto: totus in cœlo: totus in mundo: totus etiam in inferno. Sic enim totum hominem verus Deus & ſummus & accepit, & ſic plenitudo diuinitatis, veritate diuinæ humanæque ſubſtantiæ inconfuſibiliter permanente, ſemetipſum pleno coniunxit homini, vt vnitate deinceps in æternum manente perſonæ, nec homo Chriſtus à diuinitate, nec idem Deus Chriſtus, à ſua poſſet humanitate ſeiungi. Ibidem, Propter vnitatem perſonæ Deus hominem quem ex vtero Virginis accepit, nec in morte nec in ſepulchro deſeruit. Suſceptor enim pleni hominis Deus, totus erat cum carne ſua in ſepulchro, totus cum anima in inferno, totus in mundo, totus in cœlo, totus in vnitate naturæ in Patre, de quo extitit, totus per omnipotentiam diuinitatis ſuæ in tota creatura quam fecit. Ibidem, Humanitas vera Filij, nec tota in ſepulchro fuit, nec tota in inferno, ſed in ſepulchro ſecundum veram carnem Chriſtus mortuus iacuit, & ſecundum animam, Chriſtus in infernum deſcendit: ſecundum eandem animam ab inferno ad carnem quam in ſepulchro reliquerat, rediit, ſecundum diuinitatem verò ſuam, quæ nec loco tenetur, nec fine concluditur, totus fuit in ſepulchro cum carne, totus in inferno cum anima, ac per hoc plenus vbique Chriſtus, quia non eſt Deus ab humanitate quam ſuſceperat ſeparatus, qui & in animæ ſua fuit, vt ſolutis inferni doloribus, ab inferno victrix rediret, & in carne ſua fuit vt ceteri reſurrectione corrumpi non poſſet. Idem atque inſeparabilis Chriſtus, ſecundum ſolam carnem de ſepulchro reſurrexit: idem atque inſeparabilis Chriſtus ſecundum totum hominem quem accepit, terram localiter deſerens, ad

Diſtinctione proprietatum nō diſſoluitur perſonæ vnitas.

Fides Euangelicæ veritatis.

Vera ratio cōmunicationis idiomatum in vnitate perſonæ.

Inſeparabilis perſonæ vnio.

Quomodo in morte Chriſti indiſſoluta manſerit perſonalis vnio.

Sic vulgò intellectus fuit Chriſti deſcenſus ad inferos.

Qua in re conſiſtat vnitas perſonæ, & quomodo Chriſtus ſit vbique.

Aſcenſio in cælum, eſt localis abſentia à terra.

cælum aſcendit, & in dextris Dei ſedet: ſecundum eundem totum hominem venturus eſt ad iudicandum.

Hæc grauiter & eruditè Fulgentius, in quibus illud primò obſeruandum eſt, quòd in vnitate perſonæ Chriſti corpus ipſius locale & finitum, diuinitatem verò immenſam & infinitam eſſe, nec tamen hac proprietatum diſtinctione vnitatem perſonæ ſolui conſtanter doceat & affirmet. Mirandum eſt itaque pleroſque adeò metuere ne hac retenta proprietatum inconfuſa diſtinctione ſoluatur Chriſtus: in quo non ſolùm veteris Eccleſiæ Patrum conſentientem ſententiam temeraria contemnunt audacia, ſed & cum Eutychete manifeſtè faciunt, qui, vt eſt apud Theodoretum, ſimiliter putabat, ſi vnicuique naturæ quæ ei propria ſunt tribuantur, hoc eſſe vnionem ſoluere. Cui reſpondens Theodoretus ait, *Neque nos ſeparamus à Deo Verbo carnem, neque vnionem facimus confuſionem, ſed ad differentiam reſpicientes naturarum, conſideramus quid conueniat diuinitati, & quid accommodatum ſit corpori.*

Dial. 2. & 3. Reſponſio ad argum. Vbiquiſtarum.

Nec verò propterea ſequitur vt quidam puerili & craſſo errore nugantur, Si diuinitas Chriſti nõ habet vbique præſentem humanitatem quam aſſumpſit, ergo Chriſtus vno tantùm loco Deus & homo eſt, in aliis autem locis omnibus ſolummodo Deus. Subeſt enim falſa ratio qua Chriſtus in vnitate perſonæ verè dicitur Deus & homo. Nam qua ratione Chriſtus quocũq; loco eſt corpore ſuo prẽſens, Deus & homo eſt, non quidem propter vtriuſque naturæ in eodẽ loco coexiſtẽtiam, ſed ob aſſumpti corporis ſubſiſtentiam in perſona Verbi (alioquin quamuis vno eodémque loco ſecundum diuinitatem & humanitatem præſens ſit Chriſtus, non tamen eapropter idem Deus & homo erit, ſed alius Deus & alius homo, quos Neſtorius per aſſiſtẽtiã & æqualitatem dignitatis vnitos docebat) eadẽ quoq; ratione vbiq; Deus & homo verè eſt Chriſtus, licet corpus & humanitas ipſius nõ ſit vbiq;. Non enim locorũ ſpaciis aut interuallis diuiſa eſt Verbi perſona, ſed vbicunq; ſit, ſemper vtraq; natura ſubſiſtẽs Deus & homo eſt.

Chriſtus non eſt Deus & homo, per coexiſtẽtiam vtriuſque naturæ in eodem loco.

Chriſtus aut nullibi, aut vbique eſt Deus & homo.

Neſtorius non fuit reprehenſus, quod vno tãtum loco Chriſtum Deum & hominem in vnitate perſonæ fateretur. Maxent. dialog. 2. contra Neſtor.

Et ſic

Et sic Christus non vno tantùm loco, sed vbique est homo, in personæ videlicet vnitate non in proprietate humanę naturæ. Nec enim locali circũscriptione deseritur corpus à diuinitate, quæ vbicunque sit assumpti corporis diuinitas est personæ vnitate ipsi iuncta: nec ex eo quòd infinita immensitate sua alibi quoque quàm in proprii corporis sui templo est, idcirco efficitur eam à proprio corpore discedere. Neque enim, vt Athanasius ait, λόγος *colligatus est corpori, sed ipse corpus cõtinet, vt in eo sit & extra omnia & in sinu Patris, nec quum sit in omnibus, sit pars aliorum.* Certè qui contrarium docent, confutantur saltem historia passionis Christi, in qua, vt Augustinus, Vigilius Martyr, Fulgentius & aliis Patres scribunt, corpus ipsius verè in sepulchro iacuit, & anima in infernum descendit, & λόγος cum latrone in paradiso fuit, & tamen nec corpus in sepulcro, nec animam in inferno λόγος deseruit, sed totus in sepulchro cum carne fuit, totus cum anima in inferno, totus in paradiso cum latrone, & per hoc plenus & inseparabilis vbique Christus, quoniam nõ est ab humanitate, quam suscepit separatus. Ergo si propter seiunctã in morte locorum interuallis ab anima carnem non est facta dissolutio personæ Christi, sed mansit personalis & hypostatica vnio, qua totus vbiq; fuit Christus Deus & homo, quamuis non secundum vtranque naturam: minimè metuẽdum est, ne si vbique non sit humanitas cum diuinitate, vno tantùm loco totus atque integer, alibi autem dimidius futurus sit Christus. Tunc demum enim vnitatem personæ solui dici posset, vt assumpta humanitate, à Verbo deposita & sibi relicta, alia fieret Verbi, alia hominis hypostasis & subsistentia, hoc est, si caro & humanitas Christi desineret esse Dei Verbi propria, & seorsim in suę naturæ persona, vt Petrus vel quiuis alius, subsistentiam habere.

De incarnat. Verbi.

Ab historia passionis Christi. Augustin. Epist. 99. & tract. 47. 78. & 111. in Ioan.

Si totus Christus in morte fuit vbique, Ergo personalis vnio, non est omnipræsentia vtriusque naturæ.

Quid sit personæ vnitatem solui.

Cæterùm rogati Vbiquistæ, quum humanitas Christi, quo tempore in vnitatem personæ conciperetur & nasceretur, non fuerit alibi quàm in vtero matris, nec etiam potuerit esse vbique, quũ lacerata

Humanitas Christi, per vnionem assumpta est vt finita & localis. Fulgent. lib. 2. ad Trasimund.

Protocol.Heidelb. fol.64.& 70.

& mortua penderet in cruce, quomodo igitur non poſſit conſiſtere vnio perſonalis, licet humana natura non ſit omnipræſens vbicunque eſt diuina: recipiunt ſeſe ad latebras primi & ſecundi actus. Dicunt enim Chriſtum etiam quum adhuc eſſet in vtero matris habuiſſe maieſtatem ſuam primo actu, hoc eſt δυνάμει, qua poſſet ſi vellet humanitate ſua eſſe vbique: ſed quoniam ſeipſum exinaniuit, non habuiſſe eam ſecũdo actu ſiue ἐνεργείᾳ, hoc eſt, non exeruiſſe hanc maieſtatem ſuam, ſed vno tunc loco tantùm in vtero matris fuiſſe. At ego fieri poſſe miror vt eos tam inanis commẽti non pudeat. Nam quod de primo & ſecũdo actu ex Gabriele Biel veluti commodatò ſumere voluerunt, dici non poteſt quàm diuerſo apud eum ſenſu legatur: & prorſus nouum, falſum, ineptum, & inexplicabile commentum eſt, conceptionem humanitatis Chriſti, quum à perſona Verbi aſſumeretur, eò quòd veritate naturæ ſuæ circumſcripta fuerit, eſſe maieſtatis ipſius humanæ naturæ aſſumptæ exinanitionem. Deinde quum maieſtatem hanc ab ipſa natura diſcernant, & ſpiritualiſſimam rem quandã, hoc eſt cõmunicatæ diuinitatis donum eſſe dicant, quid potuit impedire, quo minus hæc maieſtas ſemper fuerit vbique, & ſi ſubſtantialis ipſa humanę naturæ veritas non fuerit vbique? De hac autẽ & non de illa maieſtate quæritur, quomodo videlicet corpus pro nobis in mortem traditũ & ſanguis pro nobis effuſus, præſens ſit & detur in Cœna, quod fieri tradunt Vbiquiſtæ per actum ſecundum, & ſecundum iſtam ſuam maieſtatem, qua tamen fieri dicunt vt non tantùm in Cœna ſit, ſed etiam vbique. Itaque iſtiuſmodi deliramentis, pro vero corpore & ſanguine Chriſti, cuius in Cœna fideles participes & membra fiunt, merum Vbiquitatis phantaſma ſubſtituitur. Denique cuius actus repugnat veritati & ordinationi diuinæ, eius nulla poteſt eſſe eſſentia. Alioqui (vt dici ſolet) poſito poſſibili in eſſe nihil ſequeretur abſurdi: ſed Chriſtum carne & humanitate ſua, in vtero matris conceptum contineri atque in cruce mortuum pendere, & tamen nihilominus

Lib.3.ſent.1.q.2.

Maieſtas ſecundum Vbiquiſtas.

Cuius actus in eſſe poni nõ poteſt, eius nulla eſt potentia.

Idominus etiam alibi extra matris vterum esse, & simul maiestate sua ad dexteram Patris evectum regnare gloria, simul in actu poni non possunt, repugnante in ordinatione Dei & veritate, nisi natiuitatem, passionē & mortem Christi cum Marcionitis & Manichæis, inanem lusum & fabulam fuisse dicamus. Ergo humana natura Christi in ipsa conceptione & morte quamuis vnita Verbo, non habuit communicatam maiestatem secundum quam esset aut esse posset omnipotens & vbique.

Caro non simul pendet in cruce, & regnat ad dexteram Patris in gloria.

Quid quod ipsimet etiam Scholastici eodem modo respondent ad hanc Vbiquistarum quæstionem, Vtrū homo Christus sit vbique? Aut enim de re aut de modo loquutionis quæstionem esse aiunt. Si de re ipsa quæratur, esse in Christo duas naturas diuinam & humanam, realiter distinctas, solam ex his diuinam, incommunicabili proprietate sua infinitam, illocalem, & vbique, humanam verò quia creatura est, finitam ideóque nonnisi certo atque determinato loco esse. Quòd si obiiciatur, Quum duo sint inseparabiliter vnita in vno supposito, vbicunque est vnum ibi necessariò esse & aliud; respondent hoc verum esse in iis quæ ita se habent in vnione mutua, vt pariter sint finita, nec vnum excedat aliud: sed locum non habere in hac hypostatica vnione naturæ humanæ cum diuina, in qua vnione, forma Dei, quæ est infinita, assumpsit sibique vniuit finitam & circumscriptam serui formam, vt in hac vtraque forma subsistens, Deus & homo sit Christus. Rectè igitur à Thoma dictum est: *In Christo personam excedere naturam assumptam, quia persona illa vbique est, non natura assumpta*: Sin verò (inquiunt Scholastici) de modo loquutionis quæritur, veram esse respōdent hanc propositionem, *Christus homo est vbique*, per communicationem idiomatum, & hoc sensu, quia videlicet illa persona quæ est homo, est vbique, secundum Verbi tamen & diuinitatis naturam. Sic dictū est à Lombardo, *Totus Christus, id est tota persona in vtraque natura subsistēs est vbique, sed non totum, hoc est non secundum vtramque naturam*. Illas igitur falsas esse, *Christus in-*

Respōsio Scholasticorum, Bonauent. & Gabriel lib. 3. sent. distinct. 22. & lib. 1. dist. 37.

Quæstio de re, An corpus Christi sit vbique.

Contra Gentiles.

Quæstio de modo loquutionis.

Petrus Lombardus dist. 22. lib. 3.

quantum homo, vel secundū humanitatem aut humanitas vnita Verbo est vbique, quia cōmunicatio idiomatum fit in persona, non in natura. Huc referri possunt quæ de capite Christo quod ad membra ipsius attinet, non dissimiliter à Scholasticis sunt disputata. Tres enim in Christo capite proprietates faciunt. I. Conformitatem cum membris, quàm tribuunt ei secundum humanam naturam, cuius cum tota sua specie limitata sit & finita potestas. II. Principium membrorum, quod ei competit ratione diuinæ naturæ. Ipse enim est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium & solus potestatem habet vniendi & copulandi membra corpori, & ex non membro membrum faciendi. III. Principium viuificandi ipsa membra, & in ea deriuandi motum & sensum spiritualis vitæ. Hanc competere aiunt Christo secundum diuinam & humanam naturam, sed diuersimodè, humanæ quidem naturæ per modum meriti & dispositionis, diuinæ verò vt causæ efficienti quæ impartitur membris, & deriuat in ea motum & sensum, efficiendo in iis cognitionem ipsius, & fidem quę per dilectionem operatur. neq; per hoc diuidi Christum, qui etsi à membris suis sit indiuisus, tamen ex eo non sequi, nullam esse capitis & membrorum localem distantiam, & corporum separationem. Nec enim ex eo quòd Christus caput nostrum esse dicitur, concedendum esse, vt sit incircumscriptus: quia idem possit esse in vno loco tantùm, & nihilominus habitare per fidem in membris suis, vt Ephes. 3. scribitur. Hæc Scholastici, quorum doctrinam si reiicere volent Vbiquistæ, meminisse eos oportebit perhiberi D. Lutheri testimonio rectè de modis præsentiæ ipsos docuisse, qui tamen nihil de ista vbiquitate docuerunt, imò ex professo illam refutarint. Certè non video quomodo suam & inscitiam & impudentiam possint excusare qui ex Vbiquistis ad Scholasticos audent prouocare, vt satis superque declaratum existimo. Cuius igitur iudicii & intelligentiæ argumētum est, quo argutantur: Si Christus homo ideo nobiscum esse dicitur, quia

diuinitas

Thom. 3. part. q. 8. Bonauent. lib. 3. dist. 13. art. 2. q 1. 2. & 3. & dist. 1. art. 2. q. 2. in fi.

Dist. 13. art. 3. q. 1. Coloss. 1.

Quomodo Christus sit caput Ecclesiæ, secūdum vtramque naturam.

August. Humanitas Christi est caput Ecclesiæ, Diuinitas est ipsa vita.

Art. 2. q. 1.

Locorū distantia, non diuidit Christum caput à membris suis.

Vide supra cap. 1.

Secunda disputat. Tubing. Thesi. 75.

diuinitas eius quæ in humanitate ipsius habitat, nobiscum est. Ergo & eodem modo Elias nobis præsens esse posset, quòd eadem diuinitas, quæ in ipso est in cælo, nobiscum sit in terra?

II. Veritas corporis in quo consistat.

Secundò apparet ex iis quæ ex Fulgentio descripsimus, veritatem corporis & humanæ naturæ Christi in eo sitam esse, vt localis & circũscripta sit, quod probat Fulgentius argumento ab eius in cælum ascensione desumpto. Itaque vt eius ratio qua ex sanctorum Patrum & Ecclesiæ temporis sui perpetuo consensu in veritate & localitate humanæ naturæ Christi probanda, vsus est, firma sit & constet, fatendum est omninò articulum de ascensione Christi, ita intellectum in Ecclesia fuisse, (quod ex Cyrillo & Augustino & cæteris passim colligi potest) vt credi-

Articulus de ascẽsione Christi, pugnat cũ corporali ipsius præsentia in terra.

tum sit hanc corporis Christi in cælum assumptionem repugnare corporali præsentiæ ipsius hîc in pluribus locis. Neque enim aliàs ab ascensione, velut certo atque concludenti argumento, probari posset veritas corporis per localitatem, si alibi quoque in pluribus simul aut omnibus etiã vbique locis, quàm quò per ascensionem assumptum & collocatum est, præsens esse credendum sit. Hîc igitur desudent Vbiquistæ, vel potius hinc discant Deo gloriam dare, & Ecclesiæ pacem diutius non impedire.

III.

Tertio cõstat Fulgentium ex Scripturæ & sanctorum Patrum consentiente sententia, pro veræ & catholicæ Ecclesię doctrina profiteri, eandẽ esse ascendentis in cælum Christi corpore suo à nobis hinc in altum sublato absentiam, qua ipsemet à morientę Lazaro se abfuisse dicit: atque eodẽ nunc etiam Christũ absentem à terris esse modo, quo, cùm esset in terra, corpore suo cælo absens fuit, & id quidem absque vlla personæ distractione.

IIII. Vera regula communicationis idiomatũ.

Postremò quoniam in hac indissolubili duarum naturarum copulatione in vnitate personæ, quod humanum est habet Deus in veritate naturæ humanæ, & quod diuinum est habet homo in veritate diuinæ naturæ: consequitur quòd vbique præsens esse dicitur homo Christus, quia diuinitatis est propriũ,

competere illi in veritate diuinæ naturæ, sicut quòd de cælo dicitur descendisse: non aũt reali aliqua, proprietatum communicatione. Efficitur & illud, sicut in vnitatem personæ assumpta humanitas Christi non transit in veritatem diuinæ naturæ: ita quoque secundum humanitatem Christum non esse vbique.

Anno 1525. Syngramma & Brentius cap. 6. & 20. in exegesi. in Ioan.

Olim & sub initium huius controuersiæ, longè aliter de præsentia Christi senserunt Authores Syngrãmatis. Docuerunt enim eandem præsentiam Christi in Verbi & sacramentorum ministerio, eandem in Cœna & Baptismo, vtrobique eam, quæ per Verbum fidei offerretur & fide acciperetur. Ridebatur tunc vt nugax prudentia carnis, seu imaginatio carnalis, realis corpusculi cuiusdam, sub pane existentis vel latentis præsentia. Pòst deinde exemplo & authoritate Papistarum, introduci ab aliquibus & doceri tanquam necessaria cœpit, corporalis & substantialis præsentia seu existentia in quolibet loco sub pane Cœnæ. At nunc demum ex vnione personali, & reali proprietatum diuinarum communicatione & effusione in humanam naturã, defenditur vniuersalis præsentia carnis & humanæ naturæ Christi, in omnibus creaturis. Quæ quomodo sibi constent, & cuius rei testimonium sint, intelligunt boni, & aliquando rectius de his iudicabit posteritas. Et hoc vtinam tandem animaduertant Vbiquitatis istius authores, & nimium profectò præfracti professores, vt qui tam firmo tantique ponderis argumento quod ab hac duarum naturarum in persona Christi vnitione sumitur, sese inniti sibi persuaserint, vt etiam paratos se offerant, si rectè atque solidè ad illud responderi possit, sese de sententia sua planè cessuros, & in castra (vt dicunt) Zuinglianorum mox cõcessuros. Vtinam ex animo sic loquantur, & expensis firmissimis responsis, ostendant, abolitis inuidiosis sectarum nominibus, sese vnius veritatis victoriam quærere

Tripliciter mutata opinio.

RESPON-

RESPONSIO AD ARGVMENTVM *quòd dextera Dei & ſeſsio Chriſti ad dexteram ſit vbique.*

CAPVT VI.

HOC argumentum in primis illuſtri teſtimonio eſt quàm incõſideratè hæc cõtrouerſia ſit à nonnullis commota. Neque enim iſtius argumenti rationi ſatis conuenire poteſt cum virtute & efficacia verborum Cœnæ, & ſpeciali illa in ſacramento omnipotentia Dei, quibus duobus fulcris illam realis & corporalis præſentiæ Chriſti in pane Euchariſtiæ cauſam inniti hactenus vulgo traditum creditúmque fuit. Sic autem argumentãtur, nulla certè veterum authoritate nec exemplo, Dextera Dei eſt vbique, Chriſtus ſedet ad dexteram Dei ſecundum vtramque naturam, Ergo Chriſtus ſecundum vtramque naturam eſt vbique.

Huius argumenti ratio & conſequentia ſi conſtat non magis inde probatur præſentia corporis Chriſti in pane Euchariſtiæ, quàm in qualibet alia creatura. Nugax autem oratio dici & haberi apud veros dialecticos ſolet, qua ſpecialiter de vna re aſſeritur vel negatur, quod toti generi cõpetit & commune eſt, vel quod in nullam generis ſpeciem cadere poteſt. Atqui ſi propter ſeſſionem Chriſti ad dexteram, corpus & humanitas ipſius, eſt vbique & in omni creatura præſens, eáque præſentia qua adeſt & datur in pane Cœnæ, eadem eſt quod ad eſſentiam attinet, quorſum obſecro ſoliti ſunt ſpecialẽ huius præſentię in Cœna cauſam, ad verba inſtitutionis Cœnæ, & ſpecialem illam in Sacramento omnipotentiam referre? Fuerint igitur ἀπροσδιόνυσα quæcũq; de verborum proprietate & virtute, iíſque aſſiſtente Dei omnipotentia tam plauſibiliter & ſimul tam aſperè & inuidioſè paſſim hactenus conſueuerunt inculcare, ſiquidem realis illa & corporalis præſentia, de qua tantopere contenditur, non ab ipſis primùm Cœnę

Nugax oratio.

Si cauſa præſentiæ eſt à ſeſsione ad dexterã Ergo propter verba & omnipotentiam Chriſti, corpus ipſius non eſt realiter in pane Cœnæ. Ioan. Marbach in tribus concion. de Aſcenſione Chriſti.

verbis in vſu adeſſe incipere, ſed longè aliam & quidem omni creaturæ communem cum pane Euchariſtiæ cauſam habere dicatur, ſicut ex hoc quoque à ſeſſione ad dexteram deſumpto argumẽto, neceſſariò conſequitur.

Seſsio Chriſti ad dexteram.

Eſt autem facillima ad hoc puerile argumentũ reſponſio. Minor eſt vera, in qua dicitur Chriſtus ſedere ad dexteram patris ſecundum vtramque naturã, ſed ſeruata vtriuſq; naturæ proprietate. Sedere enim ad dexteram patris, eſt eſſe dominum omnium creaturarum, & regnare in æternum, ingredi in arcanum conſilium diuinitatis, dare Eccleſiæ dona regni & ſacerdotii, eſſe victorem omnium hoſtium, atque hæc omnia facere in humana natura, quam ſibi in eiuſdẽ perſonæ ſubſiſtentiam ὁ λόγος copulatã plenè tãdem glorificauit: & multas etiam actiones glorioſas regni & ſacerdotii, quæ tamen non ſoli naturæ omnipotẽti competunt, efficere per naturam humanam, & hanc gloriam totius perſonæ palàm declarare, vt docetur Philippien. 2. Hæc eſt glorificatio humanæ naturæ Chriſti, ſeu exaltatio in regno & ſacerdotio, non tantùm beatitudo æterna, & ſuper cælos eleuatio, qualis eſt beatorũ angelorum & hominum, ſed etiam ſuper creaturas vniuerſas ſine vlla exceptiõne donis communibus & propriis, quę in creaturam cadere poſſunt, excellere, & in illa ſublimi & arcana luce, in qua Deus immediatè conſpicitur, dignitate ſuper creaturas omnes exaltatum eſſe. Ad hanc ſeſſionem ad dexteram, ſatis eſt diuinam Chriſti naturam omnipotentem & æternam vbique præſentem adeſſe, exaudire, iuuare: humanam nihil neceſſe eſt vbique eſſe, ſed vbicunque ſit, actiones omnes in ea fieri ſatis eſt, id eſt à perſona, quæ in duabus ſubſiſtens naturis Deus eſt & homo. Secundum diuinam igitur naturam Chriſtus eſt ad dexteram Patris vbique, ſecundum humanã eſt ad dexteram in cælis, ſecũdum hæc dicta, Aſſumptus eſt in cælum, conſedit à dextris Dei. Item, Qui eſt ad dexteram Dei profectus in cælum. Item, Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum eum vidiſtis euntem

Cyrill. Verbum operatur in humana forma.

Glorificatio humanæ naturæ Chriſti.

Theodo. dialo. 2.

Non ſequitur, dextra Dei eſt vbique, ergo per ſeſsionem ad dexterã humanitas Chriſti eſt vbique.

Mar. 16. 1 Pet. 3. Actorum 1. & 3.

cantem in cælum. Item, Quem cælum capere oportuit, vsque ad tempora restitutionis omnium. Item, Christus est sursum in dextera Dei sedens. Item, Quem excitauit à mortuis, & collocauit ad dexterã suam in cælis. Et ita Theodoretus secundum hanc naturarum distinctionem interpretans hæc verba, Excelsior cælis factus, *Hæc*, ait, *humanitatis Christi sunt propria, & Deo Verbo conuenire non possunt, cuius natura nequit loco circumscribi. Cõueniunt igitur Christo vt homini non quasi alii à Deo Verbo, sed vt sciamus quid humanitatis & diuinitatis sit proprium.* Et alibi, *Corpus Domini quod resurrexit, à corruptione quidem & interitu alienum & impassibile, & immortale, & diuina gloria glorificatum, & sessione ad dexteram Patris dignatum est, & à cælestibus adoratur potestatibus* (nẽpe vt Dei corpus) *corpus tamẽ est, & habet quam prius habuit, formam, figuram & circumscriptionem.* Augustinus, *Noli dubitare, ibi nũc esse hominem Christum, vnde venturus est secundum Christianam confessionem. Resurrexit à mortuis, ascẽdit ad cælum, sedet ad dexteram Patris, nec aliunde quàm inde vẽturus est in eadem carnis forma & substantia, cui immortalitatem dedit, naturam nõ abstulit. Secundum hanc formã & substantiam carnis, Christus putandus non est vbique diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus.* Item, *Ascendit in cælum, ibi sedet ad dexterã Patris. Audiant & teneant. Respõdeat aliquis, quomodo tenebo absentem? Fidem mitte & tenuisti. Et præsens & absens est Christus. Nisi enim præsens esset, à nobis teneri non posset. Et abijt & hîc est. Corpus enim suum intulit cælo, maiestatem non abstulit mundo.* Rursum, *Secũdum carnem quam verbum assumpsit, & corporis præsentiam, ascendit in cælum, & non est hic* (*Ibi enim sedet ad dexteram Patris*) *& hic est, nõ enim recessit præsentia maiestatis.* Item, *Secundum formam suscepti hominis, ad dexteram Patris sedet, vel stat, & orat, & gratias agit, & sacerdos est & minister, & supplex & subditus, secundum formam Dei æqualis est patri, vnigenitus & gignenti coæternus.* Non igitur ex sessione ad dexteram, imaginanda est illocalis infinitas, & omnipræsentia humanæ naturæ cum diuinitate in omnibus

Colos. 3. Ephes. 1.

Hebre. 7.

Distinctio proprietatum non soluit vnitatem personæ.

Dialo. 2.

Corpus Christi etiam in ipsa ad patris dexteram sessione, finitum est.

Epist. ad Dardanum.

Argumenta corporalis absentiæ, à Christiana confessione.

Tract. 50. in Ioan.

Contra sermo. Arria. cap. 34.

Forma serui.

Forma Dei.

creaturis. Negat enim diſertè Auguſtinus, Chriſtũ propter diuinæ naturę omnipotentiam, etiam in vnitate perſonæ, corpore & carne ſua alibi quàm in cælis eſſe, quoniam hoc ſit naturæ & veritati corporis cõtrarium, quod quatumuis glorificatum in ipſa ad dexteram ſeſsione, tamen in eadem carnis forma non mutata manſit & perſeuerat. Sicut enim in vnitatem perſonæ aſſumpta, & Verbi propria facta eſt humanitas Chriſti, vt viſibilis, finita & localis: &, vt Auguſtinus ait, Formam ſerui perſonaliter habet Verbum in ſeipſo, ita quoque in eadem forma & proprietate naturæ eleuata in cælum, collocata eſt ad dexteram Patris. Sic Cyprianus Viſibilem filium, ab inuiſibili Deo ad dexteram ſuam receptum, & humilitatem carnis noſtræ throno iudiciario honoratam ait. Itaque iſta illius argumenti propoſitio, Quicquid eſt ad dexteram Dei eſt vbique, ſi explicetur ſicut eius forma & diſpoſitio terminorũ flagitat, prorſus falſa eſt. Humana enim Chriſti natura, vt ex ſupradictis apparet, ita eſt ad dextram vt non ſit vbique: ſicut nec eam vbique eſſe neceſſe eſt in ipſa perſonæ Verbi vnitate & ſubſiſtentia.

Caro aſſumpta eſt in vnitatem perſonæ, vt viſibilis, finita & localis, Fulgent. lib. 2. ad Traſimundum.

Sermo. de aſcenſ. Chriſti.

Sic autem articulum de ſeſsione ad dextram ab initio ſemper intellexit Eccleſia. Vt enim de locali aſcẽſione humanæ naturæ dictũ eſt, Aſcendit in cælos: ita de exaltatione humanæ naturæ ſuper omnes creaturas dictum eſt, Sedet ad dextrã Patris. Et planè nouum & inauditum iſtud doctrinæ genus eſt, quo docetur Chriſtus per modum maieſtatis ab ipſo conceptu communicatæ, humanitate ſua ſedere ad dextram Patris, non in cælo tantùm ſed etiam in pane Euchariſtiæ & omni pœnitus creatura: quæ imaginationes præterquàm quòd per ſe ſunt falſiſſimæ & abſurdiſſimæ (vtpotè quæ cum veritate humanæ naturę manifeſtè pugnẽt) etiam ad præſentiam corporis Chriſti in Cœna ſtabiliendam, vt anteà quoque diximus, nihil planè habẽt momenti. Nam corpus Chriſti non offertur in Cœna per modum maieſtatis & ſeſſionis ad dexteram, ſed ſub ratione victimæ, qua in mortem traditum & in cruce immolatum

Philip. Melan. ad Coloſſ. Aug. Pſalm. 109.

Vbiquiſtica ſeſſio ad dextram in pane Euchariſtiæ protocol. Heidel. 123.

Ratio qua Chriſti corpus in Cœna offertur.

tum fuit. Est enim Cœna mysterium redemptionis in quo sacrificiũ traditi in mortem, & crucifixi Christi repræsentatur. Rectè igitur ille ipse philosophus, cuius opera nuper abusi sunt isti Vbiquistę sic scribit: *In Cœna εὐχαριστίας est corpus Christi. Nõ sequitur, Ergo in Cœna est Christi corpus ἁπλῶς. Sensus enim ille verborum esset Capernaiticus. Nec de glorioso corpore potest etiã illud ἁπλῶς dici* (id est, de corpore, vt volunt Vbiquistæ, extra vnionem per se in illa sua spiritualissima maiestate consideratũ) *quum τὸ ῥητὸν prædicati ei non conueniat. Nam gloriosum neque traditum est neque tradetur.* Hęc ille, quæ viderint Vbiquistæ quomodo cum sua illa maiestate quę sit omnipræsentię basis, conciliẽt. Hinc ab Augustino *Sacramentum esse dicitur illius corporis quod visibile, palpabile, & mortale in cruce positum immolatúmque fuit: ideóque Christum vt pauperem & quasi passum, humilitatísque in Cœna corpus manducari. De humilitate enim corpus suum nobis commendasse, quia nisi humilis esset* (ait) *non manducaretur. Esse namque humilitatis testimonium & commẽdationem, quòd inquiens Hoc est corpus meum, quodammodo manibus suis ferebatur.* Et Chrysostomus, Corpus domini vt cadauer esse ait propter mortem, ad quod suprà cælum vt aquilas subuolare oporteat. Ambrosius Christum tradit in Cœna offerri vt hominem & quasi recipientem passionem. Cyprianus quoque docet sanguinem Christi non posse bibi, nisi Christus calcatus esset, & calicem prior bibisset, quem credẽtibus propinaret. Et Hesichius, Corpus in sacrificio dari, tanquam in sartagine assatum in ara crucis. Et Rabanus, Christum vt in mysterio immolatum comedi. Item, Corpus & sanguinem nos in morte ipsius, cuius fit commemoratio percipere. Denique sic sanguinem Christi in Cœna bibi omnes tradunt, quasi ex diuino fluentem latere: quæ quum fictitia Vbiquistarum consideratione secundum modum maiestatis & dexteræ, omnino non consentiunt: alioqui quomodo Apostolis in prima Cœna corporis & sanguinis sui communicationem dedisset Christus? Vt enim hæc ad dextram Patris nondum eo tempore

Schegkius in lib. περὶ ἑρμηνείας pag. 522.

August. cap. hoc est. c. quũ frangitur. de cõs. dist. 2. cap. 19. de fide ad Petr. Epist. 120. & Psal. 33.

Homil. 24. 1. Corinth. 11.

Lib. 4. cap. 48. de officiis.

Lib. 2. Epist. 3.

In Leuiticum.

Cap. 8. & 45.

Modus præsentiæ in Cœna, non est secundum sessionẽ ad dexteram.

ſedebant, ſed inſtar & pro ratione victimæ & oblationis quam in corpore & ſanguine ſuo facturus pro nobis erat Chriſtus dabantur: ita ab hac ſeſſione non eſt ſtatuendus modus, nec definienda ratio præſentiæ corporis & ſanguinis ipſius in Cœna. Itaque rurſum rectè idem ille Tubingenſis philoſophus aduerſus iſtam maieſtuoſam, imò etiam aduerſus realem omnem ipſius corporis in Cœna præſentiam ſic ſcribit: *Alio igitur modo & ratiõ eſt in Cœna Chriſti humanitas ſeu corpus, nempe quomodo totus Chriſtus eſt in Cœna, qui totus dicitur ratione perſonæ & maieſtatis* (id eſt quatenus eſt vna perſona non duæ, & eſt verus Deus, in quo humanitas ſubſiſtit) *vbique eſſe, perſonaliter videlicet* (id eſt perſonæ reſpectu) *totus, non naturaliter ſecundum humanitatem*, id eſt non in ipſa natura humana, *Chriſtus enim non eſt alicubi* (id eſt aliquo duntaxat loco) *ratione diuinæ naturæ, ſed vbique, quum tamen ratione naturæ humanæ non ſit vbique, ſed alicubi. Sed totus Chriſtus* (id eſt vt vna perſona) *eſt vbiq.* Hæc ille. Nam iſtud quoque non modò inauditum eſt in Eccleſia, ſed & auditu horrendũ, quòd ab ipſo incarnationis momento Chriſtus per hypoſtaticam vnionem duarum naturarum, humanitate ſua aſcenderit in cælũ, & conſederit ad dexteram Patris. Ergone corpore ſuo in cruce pependit, & mortuus eſt, & ſimul tamẽ in eadem carne ad dexterã Patris in cælo ſedit Chriſtus? Nam hac ratione vel fatendũ erit viuũ pariter & mortuũ eiuſdem carnis & humanitatis reſpectu, quãuis diuerſo cõſiderationis modo, fuiſſe Chriſtũ, vel in ipſa morte ad Patris dexteram ſedere deſiiſſe. Sic nimirũ fiet tandẽ (ſi iſtis creditur) vt omnes articuli fidei controuerſiã patiãtur, & corruptelis obnoxii ſint, ad tuendã realem carnis Chriſti in pane præſentiam. Quæ verò neceſsitas vrget, vt ad iſtiuſmodi verborum Cœnæ Domini ſenſum, quem neque verba ſuppeditant, neque ſacramentorum ratio efflagitat, nec receptus in Eccleſia conſenſus confirmat, reliquos fidei articulos violenta interpretatione inflectamus, & torqueamus potius, quàm ipſa Cœnæ verba, ſecundum perpetuam articulorum fidei analo-

giam

gam intelligi oporteat, quum tamen ſacramenta ex fine inſtitutionis ſuæ non contineant nouos fidei articulos? Theodoretus ex infinitis penè veterum Patrum adductis ſententiis, à diſceſſione Chriſti ex hoc mundo, & ſeſſione ipſius ad dexteram Patris in cælo, conſtanter probat aduerſus hęreticos, veritatem humanæ naturæ localis & circumſcriptę, etiam poſt reſurrectionem in Chriſto manſiſſe inconfuſam & immutatam: & iſtos audiemus qui proprio ſuo nimis confiſi ingenio, ex diametro huic contrariam infinitæ maieſtatis præſentiam humanitatis ſeu carnis Chriſti in omnibus creaturis, ex iiſdem etiam argumentis adſtruere nituntur? Stolidi ſcilicet in tradendis fidei articulis parum intelligentes & exercitati fuerunt omnes ad vnum veteres Eccleſię Patres, qui tam ſublimis Theologiæ prorſus ignari, à ſeſſione ad dexteram Patris in cælo, humanæ naturæ Chriſti quam nobiſcum communē habet, argumentum & probationem petere voluerunt, quum è contrario ſit colligendum (vt iſti docent) quòd aſſumpta humanitate ſua Chriſtus, per gratiam ipſius vnionis, ſiue eo ipſo quòd vnitus ſit homo τῷ λόγῳ, ad eam eue ſus ſit maieſtatem, vt reali in ipſam carnem diuinarū effuſione atque participatione proprietatum, omnipræſentia carnis ſuæ cælum & terram impleat, atque omnia vbique coràm vt homo cæleſti modo gubernet. Nihil enim horum ex veritate carnis & naturæ aſſumptæ eſt: nec habet eorum quicquam cum noſtra natura & carne, in qua in cæleſtibus ſedet, cōmune Chriſtus: nec ita reformaturus eſt corpus humilitatis noſtræ, quum illud reddet conforme corpori claritati ſuæ. Vbi igitur manet ſpes & conſolatio, quam in aſcenſione Chriſti, & ſeſſione ipſius ad dexteram Patris in cælo, repoſitam habemus, vt vbi videlicet caput noſtrum eſt, & nos cum eo ſimus? Et qui Chriſtum in carne noſtra ſedere fecit in cæleſtibus, quomodo ſimul excitauit nos, & ſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto, vt oſtenderet eminentem opulentiam gratiæ ſuæ, in benignitate erga nos in Chriſto Ieſu, vt eleganter de hoc ſcripſit Tertullianus, lib.

Dialog.2. & 3. Idē Fulgen. & Vigil. Auguſt. lib.3.cap.4.contra Maximi.

Veteres Patres, probant veritatem carnis in Chriſto, à ſeſſione ipſius ad dexteram, Ergo hoc conſiderationis modo, non exit terminos creaturæ.

Longe aliter apud Theodoretum de incarnatione loquūtur patres Dial.1.

Philip.3.

Seſsio ad dexteram in noſtra carne & natura.

Theodo.dial.1.

Ioan.14.

Epheſ.1.
Epheſ.2.

de Resurrect. carnis, *Quemadmodum nobis (ait) arrabonem spiritus reliquit, ita & à nobis arrabonem carnis accepit, & vexit in cælum pignus totius summæ illuc quandoq; redigendæ. Securi igitur estote caro & sanguis, usurpastis & cælum & regnum Dei in Christo.* Et Chrysostomus, *quid ad hunc honorem cõparari potest? primitiæ nostri generis in tanta sublimitate sedent, & tanta gloria fruuntur. Nihil vilius fuit homine, nihil glorioſius homine facto est: pedes facti sunt caput, & in throno regio collocati sunt per primitias.* Item, *Aperuit cælum, & ex hostibus amicos fecit, eosdemq; in cælum introduxit, & ad dexteram Dei collocauit nostrã naturam.* Et Augustinus, *Quod ex nobis suscepit in cælum leuauit, & ad dexteram Patris collocauit, & fidei nostræ certum pignus dedit, quod membra sunt ipsum secutura. De tanto igitur capite fideliter sperent, ad ipsum se posse peruenire, quem iam credunt ad dexteram patris sedere. Regnat homo susceptus à Christo, ad dexteram Patris sedens, & vt sui regnum ab eo accipiant, vocat, inuitat & hortatur.* Hæc autem vberrima consolatio, commentitio hoc maiestatis modo penitus obscuratur. Quum enim sita sit in vnitate & communione quam habent membra cum capite suo, quia videlicet primitiæ carnis nostrę sunt, quãs sibi vniuit, in quibus ascẽdit, & supra cælos eleuatus ad dexteram Patris sedet Christus, in quo (vt pulchrè admodum Cyrillus ait) omnes nos sumus, certè nulla ad nos spes & cõsolatio redundat, ex eiusmodi maiestuosa & deificata carne, quæ toto genere dissimilis est nostrę, & cuius nulla nobis cum Christo, vt membrorum cum capite societas & communio est. Nobis enim nihil est, vt Athanasius ait, cum alieno commune: & vt Amphilorius Iconii Episcopus apud Theodoretum de veritate carnis Christi, præclarè scribit, *Si aliud est corpus quod accepit, quid hoc ad meum, quod salute indiget? Si carnem è cælis deduxit, quid ad meam carnem, quæ à terra sumpta est?* Neque verò hoc oppono Vbiquistis, quasi istud quoque dogma velim eis impingere: sed pari ratione posse hoc illis obiici affirmo, Si in cælum ascensio, & ad dexteram Patris sessio, est talis manifestatio maiestatis qua humanitas Christi, in forma Dei, omni-

Apud Theodo. in dialog. 2.

Lib. 2. de symbolo ad catechu. cap 7.

Lib. 4. de symbolo c. 7

Augustin. tract. 111. in Ioan. & de Agon. Christia. ca. 26. Vigil. Martyr. lib. 4. Cypria. sermo. de Resur. Christi.

Lib. 1. cap. 16. lib. 10. cap. 38. in Ioan.

Dial. 2.

omnipotens in seſe effecta, & in diuinæ triadis consortium cooptata sit, & omnia vbique substantiali præsentia sua impleat, sustentet & gubernet, eóque modo personaliter Deus sit, & ab omnibus distincta creaturis: quid hoc ad nostram carnem, quæ creatura est: cuius forma serui est? & quę loci spacio atq; occupatione est finita? Nō huius profectò corporis mēbra, nec de carne & ossibus eius sumus, quæ aliqua similitudine nostræ carnis, cum ea non sit ὁμοουσίας: nec formam & speciem ipsius, nec extensas membrorum partes habeat, nec quantitate molis suæ finiatur. Non ita sanè de carne Christi, eiúsque ad dexteram sessione, pia docuit antiquitas. Cyrillus enim, Christum corpore suo à nobis absentem ad dexteram Patris sedere, Maiestate vero diuinitatis (id est quatenus Deus est) semper adesse, & in sanctis suis per fidem habitare, scribit. Augustinus quoque humanitatem Christi, in forma serui, & nostræ proprietate naturæ, in cælum leuatam, & ad Patris dexteram collocatam vult intelligi, ideóque inter corporalis & localis absentiæ argumenta, recenset hanc sessionem ad dexteram, constantérque asserit, Christum corporali absentia & discessione mundum reliquisse, & corporali præsentia ad dexteram Patris iisse, & ibi sedere, nō hic esse, opponens inter se hāc suscepti hominis absentiam, eiúsque sessionem ad dexteram Patris in cælo, & spiritualem maiestatis suæ præsentiam, qua nobiscum manens in terra, nunquam recedit: quod ita credi vult secundum fidei regulam, & sanam doctrinam. Idem de sessione ad dexteram per localem hanc à terra absentiam, sentit Fulgentius. Aliud est itaque maiestate sua præsentem esse Christum, aliud secundum carnem sedere ad dexteram Patris, quia maiestatis præsentia, vt propria, ita cōmunis est toti trinitati, sicut solius Dei est simul vniuersa implere, non est aūt (vt ipsi somniant) quædā cōmunicata humanæ naturæ proprietas. Etsi aūt articulū de sessione Christi ad dexterā, nō ita intelligi velit Augustinus (& rectè) quasi Pater ei sedeat ad sinistrā, aut in Deo Patre sit latus dextrū & sinistrū, ta

Augustin. lib. 10. cap. 6. de ciuit. Dei, & sermo. 18. de verb. Apost.

Cyrill. lib. 6. cap. 14. & lib. 11. cap. 3. in Ioan.

Augustin. tractat. 50. & 106. & 111. in Io. lib. 2. cap. 7. ad catechu. Epist. ad Dardan.

Humanitas in forma serui est ad dexteram lib. 3. cōt. Maxi. cap. 16

Præsentia maiestatis, & sessio ad dexteram secundum humanam naturam opponūtur.

Lib. 2. ad Trasimund.

Præsentia Maiestatis

Lib. de Agon. Christ. cap. 26.

Epist. 146 & 222. ad Consentium.

mẽ diserte affirmat, corpus Domini quod de sepulchro excitatũ in cœlum leuauit, non aliter quàm sub humana forma, specie & mẽbris, cogitare nos, imò ita in cælo esse credere debere, sicut erat quando ascendit in cælũ, & discipulis suis de veritate resurrectionis dubitantibus respondebat, Palpate & videte quoniam spiritus carnem & ossa non habet. Idcircò etiam corpus Christi quod creditur, visibile esse dicit, sicut sese post resurrectionẽ ostendit, & post ascensionem Paulo & Stephano. *Christus* (inquit) *manente inuisibili Dei forma, accepit visibilem hominis formam: in ea natus est, manducauit & bibit, dormiuit & occisus est in ea, & resurrexit in ea, & ascendit in cælũ, & sedet ad dexterã Patris in ea.* Item, *Nisi corporaliter abiret* (id est abiuisset) *Christus, semper eius corpus carnaliter videremus* (id est vidissemus) *& nunquam spiritualiter crederemus*, id est credidissemus.

Lib. 2. contra Maximum cap. 19.

Sermo. 60. de Verb. Dom.

Ex his apparet, cõmentitium maiestatis modum quo corpus & humana natura Christi, communi naturę specie seu forma eiúsque finibus non continetur, nec quale sit cogitari aut animo concipi specifica aliqua ratione potest, sed per diuinæ naturæ effusas in se proprietates immensum, & ab omni quantitate partium & totius separatum, atque totũ vbique esse prędicatur, non esse veri corporis modum, cuius nulla membrorum distinctio, nec situs sit aut habitudo, nec totum qualibet sua parte maius. Et tamen qui tale Christi corpus, per modũ maiestatis & dexterę Dei in pane Eucharistiæ præsens esse & realiter exhiberi docent, videri volunt veri corporis in Cœna cõmunicationem docere, parũ certè memores eorum, quæ olim longè aliter, quum Oecolampadium sibi oppugnandum sumpsissent, senserunt, docuerunt, & in publicum emiserunt. Etenim tunc credi satis erat, Christo ad dexteram Patris sedente & manente, Spiritu suo nobis cum & gratia donorum suorum esse fidei nostræ præsentem.

Talis modus non est substantia veræ carnis in Verbo.

Tale corpus non est in mortem traditum.

Cæterùm quàm omnino nõ sentiat Augustinus modum realis præsentiæ corporis Christi in Cœna petendum atque definiẽdum esse ex sessione ipsius ad dex-

Syngramma Theologorum Sueuiæ.

Augustin. sessionem ad dexteram non intellexit de omni præsentia carnis.

ad dexteram, omnium liquidissimè intelligi potest ex sermone, quem ea de re ad infantes seu ad populum habuit. *Potest* (inquit) *animo cuiusquetalis cogitatio oriri, Dominus noster Iesus Christus, nouimus quòd carnē ex Virgine sumpsit, & vt infans lactatus est, in cruce suffixus, sepultus tertio die resurrexit, & quo die in cælū ascendere voluit, illuc leuauit corpus suū, inde vēturus ad iudicandos viuos & mortuos, ibi modò sedet ad dexteram Patris. Quomodo ergo panis est corpus eius? Ista fratres, ideò Sacramenta vocantur, quia in illis aliud videtur, aliud intelligitur.* Hic scio, ridebunt Vbiquistæ, & vix sese continebunt, quominus Augustinum grauissimè pro sua modestia criminentur, vt qui officium doctoris in Ecclesia gerens, inter catechumenos ablegari meretur, vt ipsemet discat prius, Quòd sessio Christi ad dexteram Patris, sit omnipræsentia carnis & humanæ naturæ ipsius, per modum maiestatis ipsiúsque dexteræ, in omnibus & extra omnia, tantum abesse vt inde efficiatur corpore suo in pane Cœnæ præsentem esse non posse, vt etiam ante & extra Cœnæ vsum vbique & in omni creatura corporaliter præsentē esse inde sic concludatur. Verùm quis potius illi commento, quàm Augustino, totíque Ecclesiæ assentiri malit?

Vide explicatio. Bertrami suprà cap. 2.

Cur dicantur Sacramenta.

Tolerabiliores quidem certè videntur hac in parte Scholastici, qui etsi multa pro tuenda & explicanda trāssubstantiatione sua, de natura corporis glorificati, de quantitate & partium corporis extentione, æqualitate & inæqualitate loci & corporis locati, ad inuestigandū existentiæ modum, quo corpus Christi habens eam in Eucharistia quantitatem, qua est in cælo, non tamen per eam sit quantum vt est in Sacramento, subtiliter & tamen frustrà comminiscentur: nec tamen extra Eucharistiæ causam omninò concedunt, secundum articulos fidei de ascensione in cælum & sessione ad dexteram Patris, Christum corpore & humana natura sua localiter in cælo, eiusque præsentiam alibi quàm in cælis credendam non esse. Ac de ascensione quidē in cælū scribit Thomas, vtile esse & expedire fidelibus tribus potissi-

Lib. 4. dist. 10. vbi Gabriel Biel.

Thomas Aquinas.

mum ex causis, subtractam esse hinc in cœlum corporalem Christi præsentiam, remanente tamen spirituali præsentia diuinitatis. *Hæc autem ascensio* (ait) *quatenus designat conditionem ascendentis, competit Christo secundum humanam naturam, quæ continetur loco & motui subiicitur: quatenus verò ascensio causam ipsius designat illa est ex virtute diuinæ naturæ, & hoc sensu competit diuinæ naturæ.* Eadem est omnium veterum sententia. Gregorius Nissenus, apud Theodoretum ascensionem appellat localem migrationem. Qui enim dixit, *Vado ad Patrem*, nihil omnium rerum extra se se habet, & tamen mouetur, & locum mutat. Et Cyprianus, *Ascendit ad cœlos non vbi verbum Deus antè non fuerat (quippe qui erat semper in cœlo,) sed vbi Verbum caro factum antè non sedebat.* Et Athanasius apud Vigilium, *Quomodo ait Vado ad Patrem cum quo semper erat, & à quo nunquam recesserat, (eius est enim ire & venire, qui aliquibus locorum terminis circumscribitur, & eum in quo erat deserere locum, vt ad alium vbi non erat, veniat) nisi quia vtique de illo quem assumpserat homine loquebatur?* Et Damascenus ait, *Ascendere* (inquit) *in cœlum & è cœlo descensurũ esse, circumscripti corporis actiones sunt.* Et Augustinus, *Ideo Dominus noster absentauit se corpore ab omni Ecclesia, & ascendit in cœlum vt fides ædificetur.* Quàm probè igitur veteris Ecclesiæ doctrinam & consensum in articulis fidei retinent illi qui ab ascensione probare nituntur vniuersalem humanæ naturæ Christi in omni loco & qualibet creatura, præsentiam, quum è contrario Patres passim ipsius veritatem & localem circumscriptionem ab ascensione probent? Vt enim ascensio Christi in carne, nostræ ascensionis pignus est, quasi in nostra carne facta, ita genere suo eadem est cum nostra. Nõ est igitur inuisibilis disparitio & illocalis omnipræsentia.

Quæst. 57. art. 2.

Dial. 2.

Cyprianus, vel Rufinus in exposit. symboli.

Ascensio localis migratio.

Sermo. 140. feria. 2. paschæ.

Fulgent. lib. 2 ad Trasimund. Theod. dial. 2. Cyrill. lib. 10. thesaur. cap. 2. Aug. tract. 111. in Ioã. & sermo. 62. de verb. Domini. Quæst. 58. art. 2. & 3. & 4. August. contra serm. Arria. cap. 12. & de symbol. ad Catechumen. libro 2. & 3. cap. 7. Basil. de Spirit. sancto.

I. Sententia Scholasticorũ de sessione Christi ad dexterã Patris.

De sessione verò ad dexteram Patris ex Augustini sententia definit Thomas, per dexteram intelligi æternam diuinitatis gloriam & beatitudinem summam cum regia & iudiciaria potestate: ad hanc dexteram aliter dici sedere Christum secundum diuinam naturã, quatenus est in æqualitate Patris ab æterno,

aliter secundum naturam assumptam, qua in longè abundantiori beatitudine, & excellenti posse sione diuinorum & paternorum bonorũ, præ cæteris omnibus creaturis est collocatus: aliter deniq; secundum gratiam vnionis, qua sicut homo assumptus est vnigenitus Filius Dei, sic sedere dicitur ad dexteram Patris, vt hoc intelligatur non de conditione & proprietate naturæ humanæ, sed de vnitate suppositi vel personæ. Hæc rectè & catholicè Thomas, quæ falsò ab Vbiquistis vt Nestoriana & Cingliana condemnantur.

II.

III. Sessio ad dexterã per gratiam vnionis.

Sed & illa quorundam valdè inanis argumentatio est: Nisi Christus per sessionem ad dexteram Dei Patris, secundum humanitatem vbique sit seu omni præsens, sed in cælo tantùm, consequitur, Quòd ad partem quoque dexteræ Dei tantùm in cælo, & non ad integram dexteram sedere dicendus sit: quasi verò dextera Dei, vt ab iis maiestate & potentia definitur, non vbique sit tota, & in qualibet cæli & terræ, & quicquid vspiam est, parte tota, sed per quælibet spacia locorum extensa, vt lux & aer. Alioqui enim cur non eadem quoque ratione dicemus, per partes diuisam esse in creaturis diuinitatis essentiam, aut ipsius in sanctis inhabitationem, si pars dexteræ Dei tantùm est in cælis, ibique non nisi ad partẽ dexteræ sedere dici possit Christus homo? Augustinus Filium Dei, in corpore suo totũ, & etiam extra corporis sui templum, vbique fuisse totum adfirmat, nec tamen indè sequi, quòd aliqua pars Filii Dei fuerit in Christo, reliqua pars alibi aut vbique: quòd sentire ait illos qui naturam substantiæ diuinæ, incorporeæ & inuisibilis ignorãt. Non igitur rectius inferri ex hac stolida argumẽtatione potest, Christum secundum humanitatem in cælo, ad dexterę Dei Patris partem sedere, quàm si dicas, dexteræ Dei partem tantùm esse in cælo.

Iacob. Andr. in proto coll. Heidel. 241. fol.

Christus non sedet ad partẽ dexteræ in cælo

Augusſt. Epist. ad Dardan. & lib. 10. de Ciuit. Dei. cap. 4.

Lib. 2. de incar. Verbi cap. 9. Fulg. lib. 2. ad Trasimund. Cõtra Epist. Manich. cap. 15.

Cæterùm cur dextera & maiestas Dei, præcipuè in cælis esse dicatur, non ita quidẽ intelligitur, quasi ibi loco sit inclusa, sed creaturarum & nostri respectu tantùm, quia videlicet Angelis & hominibus a-

Augusſt. ad Dardanũ.

Hinc sessio ad dexterã in cælis.

gnitio, gloria & præsentia ipsius ibi maximè est conspicua, & voluntas eius ibi perfecta obedientia impletur. Sic Ignatius cælum appellat sedem dexteræ Dei.

Non minus hallucinantur & illi qui sic argumentãtur: Dextera Dei non est locus, nec loco finita aut circumscripta, ergo humanitas Christi per sessionem ad dexterã non est localis nec finita. Cur enim eadem ratione nõ sequeretur, Sicut dextera Dei est inuisibilis & incorporea, sic quoque humanitatem Christi, in ipsa ad dexterã sessione visibilẽ & corporeã esse desiisse? Quomodo igitur à Stephano visus fuit stans à dextris Dei? aut quũ rediturus est, quemadmodum eum viderunt eũtem Apostoli? quomodo eum videbunt qui ipsum transfixerunt? Augustinus equidem in eadem carnis, hoc est visibilis serui forma, Christum ad dexteram sedere tradit. Proinde falsissima est hæc quæ argumento huic inest, consequẽtiæ ratio, nempe, Illud quod est seu sedet ad dexteram, eiusdẽ cum ipsa dextera seu sessione ad dexteram naturæ & conditionis esse. Ipsum quidem sedere ad dexteram, rectè inferri posset, non esse corpoream locationem, aut rem locali circumscriptione finitam, sicut nec ipsa dextera talis est. At minimè propterea efficitur, sieut hæc sessio ad dexteram est cælestis & diuina quædam gloria & maiestas, ita quoque humanitatem Christi, cui hæc competit veritate substantię suæ, infinitam, incorpoream & illocalem esse oportere. Itaque constare iam omnibus opinor, qua fronte & ingenuitate, veteris & primitiuæ Ecclesiæ consensu & authoritate, realem se corporis Christi præsentiam docere iactitant, qui hac ab Vbiquitate dexteræ & sessionis ad Dexteram Dei, planè noua, & cum ipso authore recenter nata, ratione vruntur, Nestorium certè in personæ distractione, Eutychetem verò in idiomatum reali communicatione ab inferis reuocantes, ac proinde fidei Christianæ basim pro viribus labefactantes.

August. tract. 22. in Ioan.

Alia est ratio sessionis ad dexteram: alia humanitatis Christi, cui hæc competit.

Dextera Dei non est locus.

Fallò se antiquitatis consensu iuuant qui ab omni antiquitate dissentiunt.

DE CHARTA SVPERESSET PAPVR

hæc ex Ioannis Damasceni de Orth. fide addenda duximus, De modo antidoseως & alternatione.

CAPVT. IIII.

QVOD aliud sit substantia, & aliud hypostasis, sæpissimè dicere solemus: & quòd substãtia communem & continuam earum quæ eiusdem speciei sunt hypostaseon, designat speciem, vt Deus homo: hypostasis autem indiuiduum ostendit, ceu Patrem, Filium, Spiritum sanctum, Petrum, Paulum. Sciendum igitur quod deitatis & humanitatis nomen substantiarum, id est naturarum est repræsentatiuum: at Deus & homo & de vna natura ordinatur, quemadmodum quũ dicimus, Deus est incomprehensibilis substantia, & vnus est Deus: sumitur etiam & de hypostasibus, vt particulariori suscipiẽte vniuersalioris nomen, ceu quum dicit Scriptura: Propterea vnxit te Deus, Deus tuus. Ecce enim Patrem & Filium ostendit. Et vt quum dicitur, Erat homo quidam in terra Ausitide, nam Iob solum ostendit. In domino igitur nostro Iesu Christo quia duas naturas agnoscimus, & vnam hypostasin ex vtraque compositam, quando naturas respicimus, deitatem humanitatémque vocamus. At verò quando ex naturis coniunctam hypostasin, quãdoque ex vtrisque simul Christum nominamus, & Deum & hominẽ secundum idem, & Deum incarnatum, quandoque verò ex vna partium, id est naturarum, Deum solum, & Filium Dei, & hominem solum, & Filium hominis. Et quandoque ex sublimibus solis, quandoque ex solis humilibus. Nam vnus est, & hoc & illud similiter existens: hoc quidem semper existens causaliter ex Patre: illud verò posterius homo factus, ob miserationẽ & amorem hominum. Diuinitatẽ igitur dicentes, non de illa nominamus ea quæ humanitatis sunt propria: non enim dicimus deitatem aut passibilem, aut creatam. Neque de carne, id est humanitate, prædicamus ea quæ deitatis sunt propria: nam neque dicimus carnem, id est humanitatem increatam. At verò de hypostasi, siue ex vtraq; siue ex vna naturarum eam nominamus, vtriusque naturarum propria illi adiicimus. Nam Christus hoc quidem est quod vtrumque simul, &

Deus & homo dicitur, & creatus, & increatus, & passibilis, & impassibilis. Et quando ex vna naturarũ Filius Dei, & Deus nominatur, suscipit consustentatæ naturæ, id est carnis propria, Deus passibilis nominatus, & Dominus gloriæ crucifixus, non secundum quod Deus, sed secundum quod homo idem est. Et quando dicitur Homo, & Filius hominis, suscipit diuinæ substantiæ propria, & glorificationes, puerulus ante secula, & homo sine principio, non secũdum quod puer & homo, sed secundum quod Deus (qui est ante secula) factus est in nouissimis puer paruulus. Et iste modus est alternationis, alternatæque attributionis vtriusq; naturæ, alterutri propria vicissim reddentis propter hypostaseos identitatem, & ipsarum in inuicem immanentiam ac insessionem.

Secundum hoc possimus dicere de Christo, Hic Deus noster in terra visus est, & hominibus conuersatus est, & homo iste increatus est, impassibilis & incircumscriptus.